3 1761 07834075 9

BX
4705
C635C5

DE

JUDOCI CLICHTOVEI

NEOPORTUENSIS

DOCTORIS THEOLOGI PARISIENSIS ET CARNOTENSIS CANONICI

VITA ET OPERIBUS

(1472-1543)

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

J.-AL. CLERVAL

Scholae Capitularis Moderator,
Historiae ecclesiasticae in Maj. Seminario professor,
et Bibliothecae publicae Carnotensis custos

PARISIIS

APUD ALPHONSUM PICARD ET FILIUM

82, VIA BONAPARTE, 82

—

1894

VITA ET OPERA

JUDOCI CLICHTOVEI

NEOPORTUENSIS

DOCTORIS THEOLOGI PARISIENSIS

ET

CARNOTENSIS CANONICI

CHARTRES. — IMPRIMERIE DURAND, RUE FULBERT.

Ex Libris

PROFESSOR J. S. WILL

DE

JUDOCI CLICHTOVEI

NEOPORTUENSIS

DOCTORIS THEOLOGI PARISIENSIS ET CARNOTENSIS CANONICI

VITA ET OPERIBUS

(1472-1543)

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

J.-AL. CLERVAL

Scholae Capitularis Moderator,
Historiae ecclesiasticae in Maj. Seminario professor,
et Bibliothecae publicae Carnotensis custos

PARISIIS

APUD ALPHONSUM PICARD ET FILIUM

82, VIA BONAPARTE, 82

—

1894

BX
4705
C635C5

LIBRARY
MAY 9 1962
UNIVERSITY OF TORONTO

793678

PRAEFATIO

Clichtoveus, cujus Vitam et Opera aggredimur, huc usque, fatemur, non est magnum nomen adeptus. Tornaci, Carnoti, Lutetiae Parisiorum, in quibus diu vixit, Novoportu etiam, quae fuit ejus patria, pauciores sunt qui vel minimam ejus notitiam servaverunt.

Attamen, prisci auctores qui Doctorum Parisiensium saeculi XVI^i laudes descripserunt aut de initiis sive Litterarum renascentium sive Lutheranae doctrinae tractaverunt, multa de Clichtoveo asseruere. Huic Doctori non mediocres assignaverunt partes in historia Parisiensis Academiae : illam enim vehementer impulit tum ad meliora studia colenda, tum ad doctrinas Lutheri rejiciendas.

Pluribus quidem cedit Clichtoveus, et, sive in Litteris, sive in Theologia, Jacobo Fabro Stapulensi, Erasmo, Vatablo, aliisque multis quorum fuit amicus vel magister, primum condonat locum. Dignus tamen omnino est qui inter praecipuos saeculi XVI^i Doctores connumeretur. Ex istis enim fuit qui, postquam Litterarum renovationi et primis Reformatorum, praesertim gallicorum, tentaminibus libenter plauserant, antiquatas methodos et vulgatas doctrinas, ne Luthero jam condemnato favere viderentur, rursus et fere inviti amplexati sunt.

Hoc opus tribus partibus constabit : 1° quidem indicabuntur *fontes historiae Clichtovei et opera* tum edita, tum inedita, tum servata, tum amissa, quorum fuit auctor.

2ª pars de ejus *Vita* et *Operibus* disseret.

3ª tandem aliquot *documenta* adhuc *inedita* praebebit.

Gratias agere nobis liceat, D° Meyer, civitatis Novoportuensis secretario, D° Maquest, Tornacensis archivii custodi, D° Vander Haeghen, Universitatis Gandavensis bibliothecario, D° Carolo Schmidt, in Facultate Theologica Argentoratensi professori emerito, Dis H. Omont et L. Auvray, Bibliothecae nationalis, Merlet, Carnotensium Archiviorum, R. de Mianville, Carnotensis Bibliothecae, custodibus.

Nos etiam juvat in memoriam revocare reverendum et doctissimum H. Wilhelm, virum juris et historiae peritissimum, necnon aliquot dilectos discipulos, qui nobis strenuam in documentis conscribendis operam praestitere.

FONTES HISTORIAE CLICHTOVEI

I. — EDITI.

Anquetin, curé de Lyon. Dissertation sur sainte Marie-Magdeleine. Rouen, 1699, 1 v. in-12.

Barbier. Examen critique et complémentaire de divers Dictionnaires historiques, au mot *Lefèvre*.

Barthélemy Saint Hilaire. Traduction d'Aristote. Logique, Préface sur la vogue d'Aristote aux xve et xvie siècles.

Berthier. Biographie des hommes remarquables de la Flandre occidentale. I, 73.

Boville (Bouelles). *Epistolae* et *Opera*.

Bretonneau (Guy). Histoire généalogique de la maison des Briçonnet, p. 164, Paris, 1621.

Brunet. Manuel. 1861, II, 107-108.

Budé (E. de). Vie de Guil. de Budé. Paris, Didier, 1884.

Budinzki. Die Universitaet Paris. und die Fremden an derselben in Mittelalter. Berlin (1876), p. 173.

Buisson. Répertoire des ouvrages pédagogiques du xvie s. Paris, 1886, p. 386, etc.

Charles. Dictionnaire des Sciences philosophiques, 1875, au mot *Lefèvre*.

Chasseneux. *Catalogus gloriae mundi,* ch. xii, p. 260.

Chevillier (A.). Origine de l'imprimerie de Paris. Paris, 1694, pp. 122, 391, 410-424.

Colomb (D.). Journal de Verdun, 1765.

Cousin (Jean). Histoire de Tournay. Douay, 1619, pp. 270, 272, 273, 279.

D'Argentré. *Collectio judiciorum de novis erroribus*. Paris, 1728, in-fol., t. II.

Didot. Biographie universelle. Paris, 1854.

Du Boulay. *Historia Univ. Paris.*, t. VI passim.

Du Fief. Biblioth. Tornac. (Bulletin de l'Acad. de Bruxelles, XI, nº 9), par le baron de Reiffemberg.

Dupin. Bibliothèque des auteurs ecclésiastiques, xvie s., p. 276. Paris, 1701.

Erasme. Durand de Laur. Paris, 1872, p. 184.

— *Opera* v. g. *Epistolae*. Froben, 1521.

Fabricius. *Bibl. med. aevi* (1735), IV, 507-8.

Fisquet. France pontificale: Chartres. Paris, chez Repos, épiscopat de Louis Guillard.

Florimond de Rémond. Histoire de la naissance, progrès et décadence de l'hérésie de ce siècle, 1er vol. Rouen, 1648.

Franklin. La Sorbonne. Paris, 1875, pp. 123, 204.

Foppens. *Bibliotheca Belgica* (1739), II, 763-6.

— *Gallia Christiana*, t. VIII, Lud. Guillard.

Graf. Essai sur la vie et les écrits de Jacques Lefèvre d'Etaples. Strasbourg, 1842.

— Zeitschrift für historische Theologie. 1852, l. 1 et 2. Ubi est Index operum Stapulensis.

Graesse. Trésor (1861), II, 202, VII, 190.

Hain. *Repertorium bibliographicum*. (1827), II, 5465.

Herminjard. Correspondance des Réformés français, I.

Horawitz. Michaël Hummelberger. Berlin, 1875.

— et Hartfelder. Briefwechsel des Beatus Rhenanus. Leipzig, 1886, pp. 3, 12, 16, 44, 45, 52, 96, 97, 340, 406, 576, 599, 625. Occasione *Vitae Beati Rhenani*, 3-12, plura notantur de multis viris litteratis quibus alludimus; ad haec lectores remittimus.

Hoverland de Bauwelaere. Essai chronologique pour servir à l'histoire de Tournai. LXVI, pp. 65, 85, 87.

Jourdain (Ch.). *Index Chartarum pertinentium ad historiam Universitatis Parisiensis*. Paris, 1862, p. 320.

— Excursions historiques et philosophiques à travers le moyen âge. Paris, 1888. — Le Collège du cardinal Lemoine, p. 265.

Jocher. Allgem. Gelehrten Lexicon, I, col. 1965.

Labbe. *Concilia*. XIV, col. 432-481. Concilium Senonense.

Laisné. Mémoires de Laisné en *Mémoires de la Société archéologique d'Eure-et-Loir*, t. II, p. 117, t. V, p. 187.

Lamy (B. Orat.). Défense de l'ancien sentiment de l'Église touchant l'office de sainte Madeleine. Paris, 1699.

Launoy. *Regii Navarrae gymnasii Parisiensis historia. Coloniae Allobrogum* (1732), t. IV, pars. I, p. 397, 608 et passim.

— *De scholis celebrioribus*. Id., p. 156.

— *De varia Aristotelis fortuna*. Id., p. 173.

Le Clerc (L.-J.). Remarques sur le Dictionnaire de Moréry. 3 vol., 1719.

Lelong. Bibl. histor. de la Fr. (1760), II, 16863.

Lespinois (E. de). Mémoires de la Société archéologique (Résumés de Laisné), II, 117.

Liron (dom). Bibliothèque chartraine, 144.

Massebieau. Etude bibliographique et pédagogique sur un *Dialogus J. F. Stapul. in phisicam introductionem*. Extrait de la Revue pédagogique, mai 1885.

Maittaire. *Annales typographici*. I, p. 35. II, pp. 148, etc.

Merlet (L.). Bibliothèque chartraine. Orléans, 1882, au nom de *Clichtoue*.

Mire (Ant.). *Elogia belgica*. Anvers, 1609, p. 38.

Panzer. *Annales typographici*. VI, pp. 56, etc.

Papiensis (Hier.). *Duellum epistolare*. Venise, 1519.

Philippe de Bergame. *Chronicorum Supplementum*. Galiot du Pré. Paris, 1535, 17e livre. 436.

Possevin. *Apparatus sacer*. Venetiarum, 1603.

Pommier (Alp.). Chroniques de Souligné-sous-Vallon et Flacé. Angers, 1889. Histoire des Guillard, 125-247, 431-578.

Prat (Marquis du). Essai sur la vie du cardinal chancelier Duprat. Versailles, 1854.

Prost. Corneille Agrippa de Schepper.

Renouard. Annales de l'imprimerie des Estienne. Paris, 1837.

Richard Simon. Bibliothèque critique, ch. xvii.

Saint-Genois (baron de). Recherches sur le véritable nom..... de Corneille de Schepper, dit Scepperus. Gand, 1856. (Extrait du Messager des sciences historiques de Belgique.)

Schmidt (C.). Gérard Roussel, prédicateur de la reine Marguerite de Navarre. Strasbourg, 1845, p. 7, etc.

— Histoire littéraire de l'Alsace : Wimpheling, etc.

Smet (de). Biographie belge (1873), IV, 174-5.

Souchet. Histoire du diocèse et de la ville de Chartres. Chartres, 1869, t. III.

Swertius (Fr.). *Athenae belgicae,* pp. 490 et 491.

Thurot. De l'organisation de l'enseignement dans l'Université de Paris au moyen âge. Paris, 1850.

— Histoire des doctrines grammaticales dans les *Not. et extr. des Mss.* t. XXII.

Trithème. *Scriptores ecclesiastici.* Append. 21. Paris, 1494.

Valère André. *Bibliotheca belgica,* pp. 590-592.

Waddington. Ramus, sa vie, ses écrits, ses opinions. Paris, 1855.

Wander Haeghen. Bibliographie des œuvres de Josse Clichtove. Extrait de la *Bibliotheca belgica.* Gand, 1888.

Quibus addendi sunt omnia Clichtovei ipsius opera, omnesque eorum editiones quae infra referuntur — item plures Historiae generales Ecclesiae, v. g. Tillemont, Fleury, Berthier, Jager.

II. — FONTES INEDITI.

Registrum Receptionum. Archiv. départem. Carnoti G. 294.

Contractus varii emptionis. Arch. départ. G. 460. G. 431.

Testamentum Clichtovei. Archiv. dép. G.

Fundationes diversae Clichtovei. Archiv. G. Bibl. Carnot. Ms. 538.

Fundationes apud Sanctum-Andream. Livre de bois. Arch. dép. G.

Wauquier de Tournay, † 1762. Bibliog. Tournaisienne, in Archivio Tornacensi,

Quibus addenda sunt opera Clichtovei inedita quae in Catalogo sequenti referentur.

CATALOGUS OPERUM CLICHTOVEI

ORDINE CHRONOLOGICO DIGESTUS[1]

Transitus B. Hieronymi. — In fine: Clichtovei 6 disticha.

Vander Haeghen indicat edit.
(Bibl. nat. RH/1016.) Paris., Gui Mercator. 1488

Jac. Fabri Stapulensis in VI primos Metaphysicos libros Aristotelis Introductio. — In fine: Clichtovei exhortatorium Carmen 5 disticha continens.

Suspicor primam editionem datam fuisse an. 1490
V. Haegh., p. 384. Paris., W. Hopylius (2 edit.). 1501

Jac. Fabri Stapulensis in Physicos libros Aristotelis Introductio. — In fine: « Carmen decastichum Judoci Clichthoue (sic) regratiatorium eorum qui hoc opus imprimi curaverunt. ».

V. H., non cognovit. Vidi in Bisuntina Bibliotheca. Paris., Hygman. 1492

Jac. Fabri Stapulensis nonnullae Introductiones (logicales) per Judocum Clichtoveum in unum diligenter collectae. — « G. Gonterius lectoribus. Praesentium introductionum quas emittere curabat J. Clichtoveus: vero (sic) aliis in rebus occupato recognitionem suscepi, una mecum operam suam praestante Davide Lauxio ».

V. H. non cognovit. — Lugduni, Guil. Baharim (Bibl. nat. R/872). 1498
— 381, post Buisson (*Rép. des ouvr. pédag. du* XVIe *s.*) indicat editionem dubiam. Paris., Gui Mercator, 1496
— 291, aliam notat Friburgi Brisgoiae 1500

De eloquentia Gasparini Pergamensis. — In fine: Jod. Clichtoveus Neoportuensis ad lectorem.

V. H. non cognovit. — Buisson suspicatus est (*Rép.*, p. 308). Vidi Bibl. nat. R/X, 1399. Paris., Gui Mercator, 11 sept. 1498
(Brunet, Manuel, 1861, II, 1292, dicit hunc tractatum

1. Opera Clichtovei adhuc inedita et incognita notantur hoc signo ☙, et non inveniuntur in Catalogo Vander Haeghen. Plures etiam editiones indicantur quas idem auctor non cognovit haec : meo aut nullo nomine insigniuntur. Propria manu evolvi exemplaria quae dicuntur esse in hac vel illa Bibliotheca et quidem non sunt numero pauciora.

Gasparini cum epistola Clichtovei insertum fuisse in opere : Stephanus Fliscus, Synonima seu Variationes sententiarum, apud Joan. Nicolle, circa 1505.)

Praecepta eloquentiae Augustini Dathi, familiari (Clichtovei) commentario declarata. — Regulae elegantiarum Fr. Nigri, adjecta facili (Clichtovei) explicatione dilucidata. — Nomina dignitatum magistratuumque romanorum, brevi (Clichtovei) declaratione etiam explicata. — Initio : Clichtovei epistola dedicatoria Theobaldo Parvo ex Musaeo Cardinalis-Monachi.

V. H. 393. Paris., s. n. 1498
— 394. Pictavis., Joan. Bouyer et Guil. Bouchet. 1499
— 394. Paris., J. Parvus, Englebert et God. Marnef 1501
— 220. — — (Bibl. nat. R/pZ, 152. 1502
— 224. Nurembergae Jer. Hoeltzel. 1504
— 394. Paris., J. Badius. 1505
— 255. — 1510 et 1512
Lemovicis, Paul. Berton. 1518
V. H. 252. Basileae, Adam Petri (2e editiones). 1520
— 239. Paris., Sim. Colinaeus (Bib. Chart. 3877). 1521
— 398. — J. Badius (Bibl. nat. R/pZ, 196). 1524
— 398. Lugduni, Sim. Vincentius (Bibl. nat. X, Inv. 19867). 1539
— 395. Cadomi, Angier et Berthelot (Bibl. nat. R/pX, 40). s. d.
Buisson citat editionem quamdam Lugduni et aliam Basileae, Gormontius. 1520
Nota has editiones inter se diversas continere omnes opera Clichtovei supradicta.

Jac. Fabri Stapulensis Introductiones in Suppositiones... cum Judoci Clichtovei commentario. — Initio : Clichtovei epistola dedicatoria Carolo Bovillo.

V. H. 288. Paris., J. Hygman et W. Hopylius, 27 aprilis 1500
— 25. — H. Stephanus, 5 jan. (v. s.) 1505
— 28. — — 15 jan. (v. s.) 1505
— 30. — — 16 julii 1513
— 32. Argentorati, Knoblouch (cum pref. Guebwiler). 1516
— 34. Paris., H. Stephanus, 30 aprilis 1517
— 36. — Sim. Colinaeus, 31 octob. 1526
— 38. — — 1528
— 40. — — 30 septemb. 1530
— 41. — — 31 jan. 1533
— 43. — Michael Vascosanus, 1534
— 45. — Sim. Colinaeus, 4 octob. 1535
— 46. Lugduni, Haeredes Sim. Vincentii. 1535
— 49. Paris., Prigentius Calvarinus, 1536
— 50. — Joan. Parvus. 1537
— 52. Lugduni, Sim. Vincentius, 1540
— 53. Paris., Thom. Anguelart, pro Ponseto le Preux. s. d.

In terminorum cognitionem Introductio familiari annotatione exposita. — De artium divisione Introductio facili declaratione explanata, auctore Judoco Clichtoveo. — Initio : Clichtovei epistola « adolescentibus bonarum artium studiosis ».

V. H.	14.	Paris., Gui Mercator.	20 decemb.	1500
—	16.	Deventer, Richard Paffroet, cum commentariis Caesarii.		1504
—	19.	Paris., Christianus Wechelus.		1534
—	20.	— Joan. L. Tiletanus (sine praefat.).		1543
—	22.	— Sim. Colinaeus (cum epist. Clicht.).		1544
—	23.	— Christ. Wechelus.		1545
—	24.	— Gab. Buon.		1560

Nota : hae editiones sunt extractae ex editione praecedenti, et vulgatae pluries sub titulo : Fundamentum Logicae.

❧ *Codex quidam a Launoio designatus et continens Clichtovei Tentativas.*

Finem habebat 11 junii 1501

❧ *Codex alius a Launoio designatus et continens Clichtovei Tentativas.*

Finem habebat 11 novemb. 1501

Launoius hos citat : *De scholis celebrioribus* (Opp. t. IV, p. I, Coloniae Allobrogum, 1732, p. 165). Hoc tempore asservabantur in Bibl. collegii Navarrae, sed jam non inveniuntur.

Totius philosophiae naturalis Paraphrases, adjecto ad litteram familiari commentario (Clichtovei) declaratae. — Initio : Clichtovei Epistola dedicatoria Stephano Poncherio, cancellario. — In fine : Clichtovei disticha quinque.

V. H.	293.	Paris., W. Hopylius. (Bibl. nat. R/631).	25 martis	1502
—	297.	— H. Stephanus (dedic. Pinellae cancellario)		1510
Clerval.		In catal. Rosenthal XLIX, nº 329, vidi edit.		1512
V. H.	300.	Paris., Sim. Colinaeus.	18 sept.	1521
—	302.	— et Cadomi, Fr. Regnault et Pet. Vidove.		1525
—	305	— Sim. Colinaeus (edit. a Vatablo recognit. Bibl. nat. R/978).		1531
—	308.	— Pet. Vidoue.		1533
		— Joh. Parvus (Bibl. nat. R/979)		1539
—	311.	Friburgi Brisgoiae, Fab. Emmeus.		1540
—	347.	Cracoviae, J. Haller.		1510
—	349.	Argentorati, René Beck (cum pref. Guebwiller).		1514
—	352.	Cracoviae, Hier. Viétor (cum pref. Gr. Sthavischyn).		1518
—	353.	— J. Haller. —		1522
		(Quatuor edit. precedentes continent tantum Introductiones in libros Physicorum et De anima).		
—	343.	Lipziae, Jac. Thanner (cura H. Stromer.)		1506

V. H. 344. Cracoviae, J. Haller. — 1510
— 345. — Hier. Viétor. — 1518
— 346. — J. Haller — (Bibl. nat. R/202.) 1522
(Ultimae edit. continent tantum Introduct. De anima).

Jac. Fabri Stapulensis Artificialis introductio per modum Epitomatis in decem libros Ethicorum Aristotelis, adjectis elucidata commentariis (Jud. Clichtovei). — Initio: Epistola dedicatoria Clichtovei Petro Briconneto et versus Philippi Praepositi.

V. H. 314. Paris., W. Hopylius et H. Stephanus. 7 maii 1502
— 318. Venetiarum, Jac. Pentius. 14 oct. 1506
— 316. Paris., H. Stephanus (cum versibus R. Rhenani). 1507
— 320. Argentorati, Joan. Groninger (cum pref. Hier. Gnebwiller). 1512
— 323. Paris., H. Stephanus. 5 maii 1512
Lipziae, Monace. 1512
V. H. 325. Paris., Pontius le Preux. 26 maii 1514
— 327. — H. Stephanus (Bibl. nat. R/237). 1518
Vidi. — Sim. Colinaeus (Bibl. Maz. 3618. A). 1528
V. H. 385. — — (Bibl. nat. R/980). 1532
— — — — 1533
— — — — (Bibl. nat. R/983). 1537
— 331. Friburgi Brisgoiae, Faber Emmeus. 1542
— 385. Rhedoni, Maria Robin (Bibl. nat. R/pR237). 1542
— — Paris., Sim. Colinaeus (Bibl. nat, R/689). 1545
Vidi. — Richard (Bibl. Carnot. 3922). 1559

Epitome Compendiosaque introductio (Jac. Fabri Stapulensis) in libros Arithmeticos divi Severini Boetii, adjecto familiari (Judoci Clichtovei) commentario dilucidata. — Praxis numerandi certis quibusdam regulis (auctore Judoco Clichtoveo). — Introductio in Geometriam Caroli Borilli... — Initio: Epistola dedicatoria Clichtovei J. Molinari. — Initio Praxis: Epistola dedicatoria Clichtovei Philippo Praeposito.

V. H. 333. Paris., W. Hopylius et H. Stephanus (Bibl. nat. RV/127). 1503
— 336. S. n. s. d. circa 1507
— 330. — H. Stephanus. 1510
— 336. — — 1517
— 341. — Sim. Colinaeus (Bibl. Carnot. 10808). 1522

Hugonis de S° Victore: De institutione novitiorum... — « Petro Porta ipsius operis recognitore sedulo ». — Initio: Epistola dedicatoria Clichtovei Jac. Ambosio, episcopo Claromontano et abbati Cluniacensi.

Paris., H. Stephanus (Bibl. nat. c. 1025, inv. 1896). 12 sept. 1506

Sermones quos habuit Clichtoveus in Aula episcopi Paris., in Basilica Parisiensi, in prima lectione magistrali, post acceptam theologici magisterii lauream. — Hos in Codice nunc amisso vidit Launoïus (Regii Nav. gymn. hist. 398).

4 dec. 1506

Sermo quem habuit Clichtoveus ad Clerum, 1ª Dominica Quadragesimae post Doctoratum. — Impressus inter *Sermones* (Coloniae, Quentel, 1550, p. 66).

21 feb. 1507

Sermo de S° Ludovico, Francorum rege, in regali Collegio Navarrae habitus. — Impressus inter *Sermones* (p. 392).

25 aug. 1507

Guilhelmus Parisiensis: De Claustro animae: Hugonis de S° Victore: De Claustro animae, lib. 4°r. — Praefatio J. Clichtovei.

Paris., H. Stephanus. 10 sept. 1507

Opus insigne B. Patris Cyrilli, patriarchae Alexandrini, in Evangelium Johannis, a Georgio Trapezuntio traductum. — Initio: Epistola Clichtovei Georgio cardinali Ambasiano legato Franciae, 8 aug. 1508.

V. H. 401. Paris., W. Hopylius. 10 januarii 1509
— 230. — 1520
— 236. Basileae, And. Cratander. 1524

Epistolae B. Pauli apostoli... necnon B. Jacobi, Petri, Joannis et Judae. — Initio: Jud. Clichtoveus Neoportuensis, piis lectoribus. — In fine: Clichtovei 13 disticha.

Paris., Marnef et Engelbert. 30 martis 1509
V. H. 372. Paris., Joan. Pratensis (du Pré). 1519

Brevis legenda B. Virginis sororis Coletae, reformatricis Ord. S. Clarae.

Vidi. Paris, Thom. Kees (Bibl. nat. 4 27,n 4537). 1510
Amiens, Watelier, traduction de l'abbé Douillet. 1869

... Caesarii Arelatensis... opus insigne sermonum. — Initio: Epistola dedicatoria Clichtovei D. Aug. Grimaldo episcopo Grassensi.

V. H. 403. Paris., J. Mercator, pro J. Parvo (Bibl. nat. Inv. G. 4567).
16 dec. 1511

Dogma moralium philosophorum compendiose et studiose collectum. — Epistola dedicatoria Clichtovei Guil. Parvo, 7 martis 1512.

V. H. 262. Paris., J. Parvus et J. Badius. 1512
— 265. Cadomi, Pet. Regnault. 1512
— 266. Argentorati, Math. Schürer (cum epistola Wimphelingii. 1512

CODEX IN QUO CLICHTOVEUS MULTA INSCRIPSIT A 1512 AD 10 FEBR. 1518: SERVATUR IN BIBL. MAZ. OLIM N° 912, NUNC 1068. — EX IPSO ERUUNTUR SEQUENTIA CUM TITULIS CLICHTOVEI.

« *Collecta ex libro Epistolarum Hieronymi complete* » (f. 1-70). — Qui titulus non est satis exactus ; cum excerpta plura sint: ex libro Augustini contra quinque haereses; ex epistola Epiphanii ad Joannem Hierosolymitanum episcopum contra Origenem ; ex invectivis libris Rufini in beatum Hieronymum; ex epistola Augustini de Origine animae (13 v°) et ex aliis operibus Augustini, ex Origene (super Cantica Canticorum (22 v°), ex Compendio Regum Francorum Roberti Gaguini (32 v°).

« *Collecta ex Augustino de Trinitate et Civitate Dei* » (f, 70-108).

« *Collecta ex libris Moralium Gregorii secundum ordinem* » (f. 108-152).

Ante 24 maii 1512

« *Nonnullae rationes ostendentes puritatem Conceptionis Beatae Virginis* » (f. 152 v.-154). — Hae rationes sunt n° 21 : in opusculo quod Clichtoveus vulgavit de *Puritate Conceptionis*, 29 nov. 1513, hae rationes de verbo ad verbum repetuntur, sed explicantur, decem novis complentur, et additur 2ª pars objectionibus respondens.

« *Sermo de S° Martino eum in tribus votis laudans* » (f. 155-158). — Sermo prolatus in monasterio Cluniacensi, an à Clichtoveo ? nescimus : non fuit editus cum ejus sermonibus.

24 maii 1512

« *Sermo de commendatione religionis monasticae, prolapsione ac instauratione in pristino decore facienda, habitus Cluniaci in capitulo generali anno* 1513, 17ª *aprilis,*

per Godefridum Ambasianum. » — Sed scriptus a Clichtoveo ipso 18 junii 1512 (f. 158-162).

18 junii 1512
prolatus 17 april. 1513

De vera nobilitate, opusculum. — Initio : Epistola dedicatoria Clichtovei Jac. Ambasiano, ex domo Cluniaca, 15 aug. 1512. — In fine : Dodecastichum carmen Joannis Multivallensis Tornacensis.

V. H. 55. Paris., H. Stephanus (Bibl. nat. R/1218). 26 aug. 1512
— 58. — Sim. Colinaeus (Bibl. nat. R/710). 1520
— 404. Lugd. : traductus, impressus Thibaut Payen (Bibl. nat. R/E 615). 1533
— 60. Lugd., traductus, Jac. Moderne. 1534
— 404. Paris., Bonnemere. 1529
— 62. — G. Desprez (Bibl. nat. R/3387/2. 1761
— 404. — Gogué (Bibl nat. R/3387/2 A). 1763
Clerval. Alia, apud Jehan Frellon (Bibl. Chart. 7140).

« *Sermo in commendationem Universitatis Parisiensis et laudem* » (f. 162-164). — Est sermo quem Lassereus in rectorem electus 10 octob. 1512 habuit coram Doctoribus.

prol. 22 oct. 1512

Theologia Damasceni, 4 libris explicata, et adjecto ad litteram (editam a Fabro 1507) commentario elucidata (per Judocum Clichtoveum). — Epistola dedicatoria Clichtovei Jacobo Ambasiano episcopo Claromontano, 31 aug. 1512, et dodecastichum carmen Ant. Rufi Vaccariensis.

V. H. 277. Paris., H. Steph. Nonis februari 1512 (Bibl. Chart. 6683). 5 febr. 1513
— 279. — — (Bibl. nat. Inv. G. 261). 12 jan. 1519
— 281. Basileae, Henricus Petri. (Bibl. nat. C. 383. Inv. 256). 1548
— 405. — — 1559
— 405. Paris., Guil. Chaudière. 1577
— 274. — Barth. Mace, etc. 1603

« *Sermo de S. Thoma Aquinate ejus praeconia continens* » (f. 164).

prolatus 7 martis 1513

De laude monasticae religionis opusculum. — Initio : Epistola dedicatoria Clichtovei Godefrido Ambasiano ex

Cluniaco 7 aprilis 1513. — In fine : Versiculi Hieronymi Clichtovei.

V. H. 68. Paris., H. Stephanus. (Bibl. nat. D. 7408, 5826). 25 junii 1513
(Bibl. Carnot. 32/E. 25102).
(Bibl. Maz. 35938).

« *Sermo de Carmelitani ordinis laude ac praeconiis* ». — Non est Clichtovei qui eum transcripsit tantum, ob invectivas contra Reformatores ordinum studiis adversantes (f. 169).

script. 20 decembris 1513

« *Vita S. Ludovici regis Francorum per titulos distincta* ». — De qua etiam sparsum aliquid annotatum est 32 et 33 v. « Est ipsa vita Gaufridi Belliloci quam transcripsit ex « Codice reposito in sacello collegii Soletorum (des Cholets) Parisiensis » et cum qua librum *De Laudibus S. Ludovici* composuit (f. 171 v°). Haec transcriptio « in domo Cluniaca ».

Finita est 26 septemb. 1513

« *Sequitur adjectio duorum capitum magnopere conducentium ad complementum Opusculi* De laude monasticae religionis, *suoque loco (cum dabitur tempus), inserendum* ». — Haec capita sic erant : C.IX : quantae virtutis et efficaciae apud Deum sit obedientia, ex praeclaris Sanctorum exemplis comprobatio. — C.XII. Exemplo priscorum cum Gentilium tum Christianorum, libenter amplectendam esse paupertatem. — Haec duo capita scripta fuere post editionem primam libri *De Laude monasticae religionis*, id est post 17 aprilis 1513, et in altera erant inserenda, sed nunquam data est altera editio (f. 183 v°).

« *Discussio nonnullorum dubiorum de Indulgentiis ecclesiasticis* ». — Haec (tria) de materia indulgentiarum paucis collecta sunt ad petitionem clarissimi viri magistri Ludovici Subterranei, utriusque juris doctoris praestantissimi (f. 187).

15 octobris 1513

De puritate Conceptionis B. M.V. :... dolore ejusdem... et assumptione...

V. H. 64. Paris., H. Stephanus (Bibl. nat. D. 7026). 29 nov. 1513
— 66. — — (Bibl. nat. 7024-7026).
(v. s.) 18 janv. 1517

* *Apostolorum et apostolicorum virorum epistolae.* — Eadem ac supra cum epistolis Martialis, Ignatii, Polycarpi, Dionysii, Antonii.

Clerval. Paris., Badius. 1513
— (Bibl. nat. A/636. Inv. A 6535). Id. aprilis 1521
V. H. 372. Paris., Joan. Pratensis (du Pré). 1519

« *Sermo de S° Launomaro, confessore et eremita* » (f. 188 v°). — Hic sermo non est Clichtovei, sed cujusdam religiosi.

Scriptus 1 decemb. 1513

De mystica numerorum significatione. — Epistola dedicatoria Jud. Clichtovei ad Germ. Ganayum, episcopum Caturcensem et versus Ant. Rufi Vaccariensis.

V. H. 71 et 73. Paris., H. Stephanus (Bibl. nat. D. 7407). 16 decemb. 1513
(Bibl. Maz. 19166).

« *Sermo de Purificatione B. M. V.* » — Ineditus. (f. 192 v°).

Script. 8 jan. 1514

« *In laudem monasticae religionis et potissimum Cluniacensis, sermo, prolatus per D. Franciscum de la Grave, decanum Carcnarum* » (fol. 195).

Script. 28 jan. 1514

« *Oratio in commendationem juris canonici et pontificii a quodam novo professore, prolata* » (f. 199).

« *Annotatae graves sententiae ex opusculo Coloniensium contra Capnionem (Reuchlin) sparsim illic adductae* » (f. 200).

« *Ex libro de Vita philosophorum excerptae graves sententiae* » (f. 200).

24 jul. 1514

Epitaphium Fr. Philippi Bourgoing majoris prioris Cluniacensis. — Invenitur 1° Obitus ejus, 25 sept. 1514, dein poeticum Epitaphium (f. 218 v°).

25 oct. 1514

Ex vita S^i Nicolai Myrensis antistitis, a Leonardo Justiniano Patritio Veneto elegantissime conscripta et per Aldum excusa atque impressa (f. 219).

8 decemb. 1514

❧ [*In librum Aldi Manutii, continentem Sedulii, Juvenci Aratoris, Probae Falconiae, sacra poemata*] (f. 221).

Cyrilli Alexandrini (*opus*) *quod Thesaurus nuncupatur.* — Epistola dedicatoria Clichtovei D. Guilhelmo Briconneto ep. Lodovensi.

V. II. 232. Paris., Wolfg. Hopylius. 1514
— 234. — Henric. Stephanus. 1521
— 236. Basileae, Andreas Cratander. 1524

Cyrilli Alex. (*Origenis*) *Commentarii In Leviticum.* — Epistola dedicatoria Clichtovei D. Guill. Parvo, 1514.

V. II. 368. Paris., W. Hopylius. 1514
— 370. — — 1521
— 236. Basileae, Andreas Cratander. 1524

Quatuor libros (5, 6, 7, 8) *intermedios amissos in Commentariis Cyrilli super Joannem restituit Clichtoveus.* — Epistola dedicatoria Jac. Ambosiano, episcopo Claromontano, cum versiculis Georgii Hopyl ad Clichtoveum.

Hinc amissa dolens illa Jodocus
Mira Clichtoveus reddidit arte
Et quos sustulerat longa vetustas
Libros addidit : hunc inserat aulae
Christus sydereae poscito lector.

5 januarii 1515
Paris., W. Hopylius. 15 dec. 1521

❧ « *Sermo de S. Thoma Aquinate, O. F. P.* » — Ined. (f. 221 v°).

Scriptus 7 februar. 1515

❧ *Sermo de Commendatione aliquorum Patrum religionis et praesentium instructione.* — A Clichtoveo non prolatus sed transcriptus (f. 225).

22 febr. 1515

❧ « *Apologia in Commentarios Stapulensis in Epistolas Pauli* » (f. 229).

26 febr. 1515

Theologia vivificans Dionysii Areopagitae... interprete Ambrosio Camaldulensi, cum scholiis Fabri, et commentariis Clichtovei. — Epistola dedicatoria Clichtovei Guil. Briconneto, ep. Lodovensi, 1514.

V. II. 258. Paris., H. Stephanus. 14 april 1515
Paris., — 1542

* *D. Bernardi opera.* — Epistolam praemisit Clichtoveus (Hist. litt., XIII, 218). — Ignoravit V. H.

Lugd., J. Cleyn., ex Catal. LX, p. 29, Rosenthal. 1515
Paris., Chevallon (Bibl. nat. R/725, superbe religatus). 1536
Lugduni, Juntes. 1538
Paris., Chevallon. 1540

❧ « *Examinatio libelli gallici De 8 beatudinibus inscripti* ». — Hic liber a Georgio Cive fuerat missus 28 maii 1515, examinatus, 22 junii 1515, et remissus, partim 22 junii 1515 (f. 233).

22 junii 1515

❧ « *Oratio pro electione cujuspiam pastoris in ecclesia Cathedrali* » (f. 239 v°).

Script. 20 febr. 1516

❧ « *Adjectio nonnullorum ad examinationem libri gallici praedicti* » (f. 242).

Script. 8 martis 1516

❧ « *Sermo de Purificatione B. M. V.* » — Cujus sit ? (f. 244).

Scriptus 10 martis 1516

❧ « *Sermo praeclarus et singularis R. P. Petri Mauricii, cognomine Venerabilis, quondam abbatis Cluniacensis, de Transfiguratione Domini* (f. 246 v°). — In fine : « Hanc homiliam et copiosam et fructuosam communicavit mihi vir eximius D. Guillelmus Vassorius, religionis Cluniacensis observantissimus et apud Cluniacum in monasticae disciplinae austeritate degens ; quam ex eodem loco ad me transmisit dono, ut ex ea quid de authore ipsius... dignoscerem. »

Script. 3 april. 1516

Elucidatorium ecclesiasticum. — Epistola dedicatoria Clichtovei (1515) Joanni Gozthon de Zelesthe, Jauriensis ecclesiae episcopo, et 4 hymni a Clichtoveo facti, f. 14, 23, 27.

V. H. 77. Paris., H. Stephanus (Bibl. nat. B/235). 19 april. 1516
— 80. Basileae, Froben. cum epistola Capitonis Christophoro Utenhemio episcopo (Bibl. nat. B/564, 565). (11 aug.) 1517
— 82. — — 1519
— 84. Paris., H. Stephanus et Sim. Colinaeus (Bibl. Chart. 5927). 1521
— 88, 90. Paris., Joannes Parvus. 1539-40

V. H. 91, 93, 94. Paris., Hier. et Den. de Marnef et Jurien. 1548
— 95. Paris., Joan. de Roigny. — Poncetus le Preux. 1556
— 97. — — 1558
— 98. Venetiarum, Hymni et Prosae. 1555

« * *Oratio de gestis atque virtutibus divi Ludovici regis Francorum deque Parisiorum paulo altius repetita origine, eorumque laudibus, habita festo die ipsius beati Lodovici in aede Fratrum Minorum Pictavis, celebri ejusdem urbis coacto litterali gymnasio.* » — An Clichtovei? (f. 253 v°). Liber Clichtovei de Laudibus S. Ludovici editus est 10 jan. 1517.

Scripta 24 maii 1516

* *Semiextemporalis ac prope tumultuaria de vita virtutibusque divi Lodovici Francorum regis oratiuncula, pronunciata Octavo Kal. Sept. in aede P. Francisci, Pictavis.* » — An Clichtovei? (f. 258).

Script. 28 maii 1516

« *Testimonia Scripturae Sacrae quod electiones praelatorum sunt de jure divino.* » — Est epistola ad R. Fortunatum contra Concordatum inter regem et Pontificem sancitum (f. 260).

Script. 2 sept. 1516

« *Nonnulla excerpta ex Vita S. Petri Coelestini* » (f. 261). — (A Petro Alliacensi).

Scriptus 4 octob. 1516

« * *Apologia atque defensio reprobationis illius clausulae: O necessarium Adae peccatum, quod Christi morte deletum est: O felix culpa... in Elucidatorio factae, quam tamen nonnulli damnant et carpunt.* » — In fine folii primi, se retractat: « Haec apologia est rejicienda et improbanda » (f. 262 v°).

Script. 5 nov. 1516

« *Quaestio cujusdam authoris probare intendens B. V. non doluisse* » (264 v°). — Dissertatio quaedam contra compassionem B. M. V. a *Georgio Cive* missa, 12 julii 1516 et hic transcripta.

10 novemb. 1516

Jac. Fabri Stapulensis in Politica Aristotelis Introductio Clichtovei commentario declarata... — Epist. dedicatoria

Clichtovei Carolo Guilliardo, Senatus praesidi, et epistola Volgatii Pratensis Joanni Solido Cracoviensi (1508).

V. H. 354. Paris., H. Stephanus (Bibl. nat. R/976, 633). 22 nov. 1516
— 356. — Sim. Colinaeus (Bibl. nat. R/982). 1535

« *Responsio ad supradictam quaestionem.* » — Id est, de Clausula : O necessarium... Quod hic respondet invenitur a cap. XV editionis apud H. Stephanum 16 februarii 1520 factae (f. 267).

Script. 3 decemb. 1516

Liber de laudibus S^i Ludovici et S^ae Caeciliae virginis et martyris. — Initio : Epistola dedicatoria Clichtovei Lud. Guilliardo, episcopo Tornacensi, ex Parisiis, 1516. — In fine : Versiculi Michaelis Pontani Sameracensis.

V. H. 74. Paris., H. Stephanus (Bibl. nat. L^b 18, 149). 10 januarii 1517

« *Anno D^i 1517, 26 julii, vir religiosus et divini verbi praedicator fervidus, Frater Judocus Caulier, S. Ord. F. Pr., fungens in Curtraco praedicationis ad populum officio, hanc mihi per litteras proposuit quaestionem discutiendam : An illa consuetudo qua in certis ecclesiis cavetur quod volens sepeliri in choro ecclesiae debet solvere 20 libras parisienses monete flandricae, id est, 10 francos — ante chorum vero 10 — in majori navi ecclesie 5 — in cimiterio 4^or — sit rationabilis, et an magistri fabricae contra recusantes solvere, puta haeredes defunctorum, possint procedere compellendo eos ad solutionem. Cui per litteras modo et contextu sequenti tunc respondi* » (f. 270 v°).

29 julii 1517

« *Assignatio rationum quare non fuit eundum cum rege catholico id petente* ». — Seu cur noluerit audire confessiones Caroli V imperatoris (f. 272).

Script. 2 augusti 1517

« *Decisio cujusdam contractus in favorem pupillorum qui est illicitus* » (f. 275). — Responsio litteris missis 20 aprilis 1517 a Jud. Caulier.

Script. 2 octob. 1517

« *An licita sit locatio curarum, locorum ad praedicationem, et sors urnae Burgensis* » (f. 275 v°). — Responsio ad tres quaestiones a Jud. Caulier 25 sept. 1517 propositas.

Script. 3 octob. 1517

Hugonis de S° Victore, Allegoriarum in Utrumque Testamentum libri.

Paris., H. Stephanus (Bibl. nat. Inv. C. 2107 bis). 10 octob. 1517

❧ « *Quod opera quae vulgo tribuuntur Dionysio sint Dion. Areopagitae et non alterius* » (f. 277 v°). — Haec rursus, parum aucta, in Antiluthero edidit.

Script. 28 octob. 1517

❧ « *Quod in sacerdote et in religioso prolapsus in libidinem sit transgressio voti et non tantum praecepti.* » — Occasione libri : *Directorium aut potius castigatorium sacerdotum concubinariorum,* quod ipsi miserat Joannes de Hont canonicus Curtracensis (f. 280).

Script. 11 nov. 1517

Jac. Fabri Stapul. Introductorium astronomicon adjecto (Clichtovei) commentario.

V. II. 69. Paris., H. Stephanus (Bibl. nat. R/E. 65). 9 dec. 1517

❧ « * *Ex Mariali Bernardini de Busto, parte 4ª, sermo 2us. Quod sacrosancta Virgo Maria recepit Sacramenta ecclesiastica, cum hic viveret* » (f. 281 v°).

Script. 31 decemb. 1517

❧ « *Beneficiati ratione studii non excusantur ab horis dicendis, quod Indulgentiae prosunt postea poenitentibus, de virtute Confessionalium et Matrimonio clandestino per fraudem inito* » (f. 282 v°). — Occasione 4or dubiorum a Jud. Caulier, circa principium januarii 1518, Clichtoveo propositorum.

Respondit 12 jan. 1518

❧ *Codex in quo de transgressione voti ad latus Carminum de Maria Magdalena Clichtoveus tractaverat.* — Indicatur a Clichtoveo sed jam non invenitur (f. 280).

❧ « *Quod communitas vitae in bonis externis est necessaria ad complendum votum paupertatis.* » — Responsio a Clichtoveo et aliis Doctoribus facta abbati S. Samsonis Aurelianensis, quatuor propositiones submittenti (284 v°).

Hucusque index a Clichtoveo factus, cui addatur :

❧ « *Anno Di 1518, 22ª martii, Jud. Caulier mittit Clichtoveo: 1° Resolutionem Joannis Briart de Ath, Universitatis*

Lovaniensis vice-cancellarii de sepulturis, an pro eis licet pecuniam accipere aut pactum facere. »

❧ 2° *Consultationem Lovaniensem super occupatione sedilium in ecclesiis a certis personis fieri solitam, et quamdam sententiam in Curia Tornacensi Brugis jampridem prolatam super eadem materia* (f. 286). — Respondit et transcripsit Clicht.

27 martis 1518

❧ *Anno* 1518, 23 *maii, J. Caulier mittit Clichtoveo Codicillum J. Briart de Ath, ludum ollae improbantis.* — Quod transcribitur (f. 289).

23 maii 1518

❧ « *Examinatio eorum quae in praecedenti Codice de ludo ollae sunt proposita et responsio ad singula eorum contendens dictum ludum graviter esse illicitum* » (f. 292).

Script. 10 junii 1518

❧ « *Eodem anno et die* (23 *maii* 1518), *idem venerabilis Pater Jud. Caulier proposuit mihi nonnullas quaestiones super quatuor materiis principalibus quae hic per ordinem digeruntur; et cuique materiae ac quaestioni sua subjungitur responsio per me illi assignata atque transcripta.* » — Hae quaestiones sunt: de ecclesiae immunitate, de indulgentiis, de prandio a novis canonicis exacto, de missis passionalibus et specialibus et quibusdam sortilegiis (f. 294-296).

Script. 16 junii 1518

Epistola Clichtovei ad Fr. Molinaeum abbatem, regis consiliarium, ante Disceptationis Fabri 2^m^ editionem.

4 apr.-22 jul. 1518

❧ *Duae epistolae Nicolai Chapusii Jud. Clichtoveo.* — in 1ª data 22 janu. 1519 *petit vitam B. Vincentii Martyris ab Augustino scriptam;* in 2ª, 10 februar. 1519, *explicat quosdam versus Juvenalis* (f. 297 v°).

22 jan. et 10 feb. 1519

Disceptationis de Magdalena defensio, Apologiae Marci Grandivallis... respondens. — Epistola dedicatoria Clichtovei Stephano Poncherio, archiepiscopo Senonensi, ex Tornaco.

V. H. 126. Paris., H Stephanus. Em. post 31 julii. Impress. 19 april. 1519
(Respondere Fisher, 3 sept. ; Beda, 25 nov.)

Sermones duo in Synodo episcopali Tornacensi.

Impressi inter *Sermones*, ed. 1550, f. 653. 1519

De Vita et moribus sacerdotum. — Epistola dedicatoria Clichtovei L. Guillardo, ex Parisiis.

V. H. 105. Paris., H. Steph. (Bibl. nat. D. 7027, A. 5096). 4 aug. 1519
— 108. — Sim. Colinaeus (Bibl. nat. D. 7028). 1520
— 109. — Vivant. Gaultherot. 1549
— 110. — — 1550
— 112. — Joannes de Roigny. 1550
— 113. Lugduni, Seb. de Honoratis et Jac. Faure. 1558
— 115. Paris., Joannes de Roigny. 1561
— — 1563
— 116. Lugduni, Marsilly et Jac. Faure. 1577
— 117, 119. Constantiae, Nicolaus Kalt. 1603, 1604
— 120, 122. Cracoviae, Nic. Lobius. 1608, 1609

De regis officio. — Epistola dedicatoria Clichtovei Ludovico Pannonie et Bohemiae regi, ex Parisiis.

V. H. 123. Paris., H. Steph. (Bibl, nat. R/E. 343, 344, Bibl. Maz., 35972, Bibl., cap. Carnotensis). 30 aug. 1519
— 411. — Sim. Colinaeus (1um volumen quo S. Colinaeus suum nomen indiderit). 1519
— — — Sim. Colinaeus. 1520

De dignitate et excellentia Annunciationis B. M. V. De benignitate et gratia Visitationis ejusdem. — Epistola dedicatoria Clichtovei Ludovico Guillardo : ex Curtraco 1518.

V. H. 103. Paris., H. Stephanus (Bibl. nat. D. 7022). Exemplar datum Navarrae. 1 febr. 1520

De necessitate peccati Adae et felicitate culpae ejusdem. — Epistola dedicatoria Clichtovei Gozthoni, episcopo Jauriensi, ex Parisiis, 1519.

V. H. 99. Paris., H. Stephan (Bibl. nat. D. Inv. D. 5847). 16 febr. 1520

* *Opus Magnorum Moralium Aristotelis, Gerardo Ruffo Vaccariensi interprete, cum annotationibus Clichtovei.*

1a editio, dedic. Guilo Briconneto, ep. Meldensi. 1520
2a ed. (Maz. 27717). 1537

De doctrina bene moriendi. — Epistola dedicatoria Clichtovei Joanni Comiti et Do de Gallinario monte, ex Parisiis, 1520.

V. H. 133. Paris., Sim. Colinaeus (Bibl. nat. D. 7022) 2 mart. 1521
— 136. — Sim. Colinaeus. 1534
— 138. Antverp., Joan Steelsius. 1535

V. H. 139. Antverp., J. Steelsius. 1536
— 141. — — 1538
Paris., Jacob. Kerver (Bibl. Cap. Carn.). 1538
— 142. — André Berthelin. J. Bignon. 1538
— 144, 145. Paris., Galliot du Pré, J. de Roigny, Oliv. Maillard. 1538
— — — J. Bignon. 1539
— 146. Paris., Angelier. 1539
— 146. — — apud Bignon. 1539
— 147. — J. Steelsius. 1539
Le doctrinal de la mort. R. et J. Duguet. 1553
— Paris., Leon. Cavellat (Bib. Maz. 25043). 1584

« *Epitome compendiariaque collectio in libros V. T. et N. T. per ordinem capitum cujuscumque libri desumpta.* » — 2 vol. — Initio prioris: Epistola dedicatoria Clichtovei L. Guilliardo, episcopo Tornacensi — Cod. man. Bibl. nat. f. latin. 525.

Determinatio theologicae Facultatis Parisiensis super doctrina Lutherana hactenus per eam visa.
Paris., J. Badius. 15 april. 1521

Lud. de Saxonia. Vita Jesu-Christi. — In quo habetur Carmen Clichtovei de divo Joachim.
V. H. 414. Lugd. Huyon. 1522

De Bello et pace. — Epistola Clichtovei ad principes christianos.
V. H. 149. Paris., Sim. Colinaeus (Bibl. nat. E. 352, Bibl. Capit. Carnot.). 3 aug. 1523

De Veneratione Sanctorum. — Epistola dedicatoria Clichtovei Lud. Guilliardo.
V. H. 151. Paris., Sim. Colinaeus (Bibl. nat. E. 352). 13 sept. 1523
— 155, 156. Coloniae, P. Quentel. 1525-1527

Antilutherus. — Epistola dedicatoria Clichtovei theologiae professoris Carolo Guillardo, senatus praesidi, ex Parisiis.
V, H. 157. Paris., Sim. Colinaeus (Bibl. nat. D. 5850, D. 7433, D. 7409). 13 octob. 1524
— 164. Coloniae, P. Quentel. 1525

Propugnaculum ecclesiae. — Epistola dedicatoria Clichtovei ad Guilliardum episcopum, e Carnoto.
V. H. 166. 18 maii 1526
— 172. Coloniae, P. Quentel. 1526
— 174. Coloniae, Hieron. Alopecius Hittorp. 1526

Sermones habiti in Synodo episcopali Carnotensi. — Inter *Sermones,* 1550, p. 663.

1526

De Sacramento Eucharistiae contra Œcolampadium. — Epistola dedicatoria Clichtovei L. Guilliardo, Carnotensi episcopo, ex Parisiis.

V. H. 176. Paris., Sim. Colinaeus (Bibl. nat. D. 5827, D. 30345). 9 martis 1527
— 180. Coloniae, P. Quentel (Bibl. nat. D. 30345). 1527

Compendium veritatum ad fidem pertinentium... ex dictis et actis in concilio Senonensi. — Epistola Clichtovei ad Franciscum I regem, 1529.

V. H. 181. Paris., Sim. Colinaeus. 4 septemb. 1529

❧ *Codex orationum S. Euphemiae, a* 1517-1529, *a Launoio citatus.* — Regii Navarrae Gymnasii Pariensis historia (1732) Opp. IV, p. I[a], p. 399 : « *Exinde asservantur in Bibliotheca regiae domus Clichtovei plures mss. codices ubi videre est eas lectiones omnes, quas die Sanctae Euphemiae, annis* 1517, 1519, 1520, 1521, 1522, 1523, 1524, 1525, 1526, 1527, 1528, 1529 *tradidit, cum Carnoto vel aliunde accedebat Lutetiam, ut librorum suorum editioni vacaret, vel forsan ut pro more jus honorarium consequeretur.* »

1529

Improbatio quorumdam articulorum Martini Lutheri a veritate Catholica dissidentium, et in quodam libro gallico qui hic discutitur (auctore Georg. Hallouino) non satis exacte nec recte impugnatorum. — Epistola dedicatoria Clichtovei Guillardo, ex Carnoto.

Paris., Sim. Colinaeus (Bibl. nat., 5827). Nona die junii 1533

De laudibus trium antiquorum Patrum, Joseph patriarchae, David regis et Tobie opus trifidum. — Epistola dedicatoria Clichtovei Lud. Guilliardo, ex Carnoto.

V. H. 188. Paris., Sim. Colinaeus (Bibl, nat. R/H. 1077, 1162, Bibl. Capit. Carnot. 1 julii 1533

Sermones Jud. Clichtovei Neoportuensis. — Epistola ad Lassereum, 18 febr. et alia Lasserei, 28 aprilis.

Paris., Yolande Bonhomme (Semin. Carnot). 1534
V. H. 199. Paris., 1535
— 202. Coloniae, Eucharius Cervicornus (B. Car. 25188). 1547
— 204. Paris., Joannes de Roigny, Ant. Jurien. 1547

V. H.		Paris., Poncetus le Preux.	1547
—		— Joan. Fourchain (Bibl. Ch. 25188).	1548
—		— Poncetus le Preux.	1548
—	206.	— Hierom. et Dionys. de Marnef.	
—	208.	Coloniae, Jonn. Quentel (B. cap. de Ch. 24922).	1550
—	209.	— Gasp. Gennepe.	1554
—	211.	Paris., Vuest. Petit., Oliv. de Harsy.	1556
—	212.	Michael Vascosan, Oliv. de Harsy.	1556
—	213.	Coloniae, J. Quentel et Gerv. Calenius.	1565
—	214.	— Materne Chollin (Bibl. nat. D.5188, 15290).	1572
—	216.	— —	1575
—	218.	Ingolstadt, Alex. Wissenhorn.	1547

Explicationes Sacrae Scripturae, in quibus haec sunt :

Ex Ruperto haec omnia. 1536
Ex venerabili Doctori Theologo Natali Beda. 1537
Bibl. Maz. ms. 184 (olim 682 Catal. et in Navarra cote 1145).

Testamentum.

17 septemb. 1543

[Convulsio Calumniarum Ulr. Veleni quibus S. Petrum nunquam Romae fuisse cavillatur, Paris. : est Fisherii Roffensis et non Clichtovei ut dixit Foppens.]

His operibus addendi sunt alii Codices nunc amissi qui pariter asservabantur in Bibliotheca Collegii Navarrae et nescimus quo tempore fuerant a Clichtoveo scripti.

Eos eruimus ex Catalogo manuscriptorum Navarrae, a Domino Davolé circa 1721 confecto, qui nunc est in Bibl. Maz. (4161), et repetitur in Catalogo eorumdem, a Domino Masson, anno 1743, scripto, qui servatur in Bibl. nat.

Hi sunt :

N° 409. *Jodoci Clichtovei Logica. — Ibidem collecta quaedam in librum Geometriae Euclidis.*

N° 422. *Ejusdem Collectanea in Æthicam et Dialecticam Aristotelis.* In-4.

N° 298. *Ejusdem quaestiones et conclusiones theologicae* (idem forsan de quo Launoius : vide ad annum 1501).

N° 421. *Ejusdem opuscula theologica.* In-8.

N° 320. *Ejusdem Sermones latine et gallice* In-4.

N° 323. *Jod. Clichtovei 42 tractatus seu Sermones. — Incipit liber : Collecta ex libro epistolarum.* In-4. (Est idem ac Codex supra descriptus, ad annum 1512).

N° 324. *Jod. Clichtovei scripta super Psalmos Davidis.* 2 vol. in-4.

N° 326. *Jod. Clichtovei opuscula.* In-4.

N° 327. *Jod. Clichtovei tractatus de Fide et articulis Decalogi.* In-4.

N° 328. *Jod. Clichtovei selecta quaedam.* In-4.

In Codice Bib. nat. (f. franc. Nouv. Acq. 5772) : Manuscrits du Collège de Navarre qui n'ont pas été transportés à la Bibliothèque impériale, indicatur, fol. 9 et n° 53, quidam Codex Navarrae notatus 205, sub titulo : *Clichtovei opuscula ;* in-folio. — An sit idem ac n° 326 ? nescio.

DE JUDOCI CLICHTOVEI NEOPORTUENSIS

DOCTORIS THEOLOGI PARISIENSIS

VITA ET OPERIBUS

PARS PRIMA

DE JUDOCI CLICHTOVEI NEOPORTUENSIS VITA

CAPUT PRIMUM.

DE ORTU, FAMILIA, PRIMISQUE, TUM LOVANII, TUM PARISIIS SUB FRENANDO, JUDOCI CLICHTOVEI STUDIIS.

(1472-1490)

Judocus vel Jodocus Clichtoveus[1], ex Novoportu (Niewport vel Nieuport) Flandriae occidentalis urbe, dioecesis olim Morinensis[2], ortum habuit. Natus est anno 1472 vel

1. Quomodo scribatur nomen Clichtovei ? Latinè, alii Clichthoveus, Clithoveus, Clichtovoeus : ipse in suis operibus scripsit Clichtoveus ; — gallicè, alii Clictou, Clitou, Clicthoue, Clythoue, Clithoüe, Clitore, Clytore, sed communius Clichtoue, — quidam tamen, ut Moreri, Clichtovée, vel ut moderni, Clichtove. Ipse, tum in Testamento tum in formula quadam « Hommagii », scripsit Clichtoue.

Quomodo sit pronunciandum ? Extranei, praesertim Flandrici, ut Wauquier, de Smedt, Budinzki, St-Genois, Leclerc, Tabaraud, Herminjard, dicunt Clichtove, — sic ipse Vander Haeghen, — Gallici vero antiqui, ut Souchet et omnes fere Carnotenses, dicunt : Clichtoue : in « Hommagio » dicitur a notario Clichtoue, vel saepius Clithoue. Probabilius littera c muta erat : an vero littera *u* quasi *v* pronuntiabatur, incertum est ?

2. *Grand Dictionnaire de Géographie universelle ancienne et moderne de Bescherelle et Devars*, 1863, Novoportus dicitur : ville forte de la Belgique, province de la Flandre Occidentale, arr. et à 10 kilom. N. O. de Furnes, à 2 kil. de la mer, sur l'Yperlée où elle a un port et des écluses, par 51°'854'' de lat. N. et 0°25' de long. E. 3.600 hab.

1473[1] ex nobili familia[2]. Tres fratres in suo Testamento designat, scilicet: Cornelium, Adrianum et Joannem van de Clichtoue, unicam vero sororem, Elisabeth, quae a Jacobo de Valdere fuit in matrimonium ducta : quibus superstes fuit.

Duos etiam nepotes habuit : Adrianum van de Clichtoue, Cornelii supradicti filium, qui pannorum fuit mercator resque paternas pro suo avunculo gessit: Hieronymum quoque, qui prius in Parisiensi Universitate scolaris, anno 1512, dein magister in artibus, anno 1515, rector, anno 1519, Theologiae Doctor, anno 1521, curam tandem parocciae S. Donatiani Brugensis accepit, in quo officio vita functus est, 8ª novembris 1555[3]. Bulaeus, inter Sorbonicos scolares, anno 1517, quemdam Nicolaum Clichtoveum, dioecesis item Morinensis clericum, nominat, quem fuisse Clichtovei nostri cognatum, haud improbabile est[4]. Ipsius quoque familiae ascribendi videntur, tum quidam presbiter, nomine Judocus de Clichtove, anno 1494 defunctus, cujus tumulus et epitaphium in Neoportuensi ecclesia etiam nunc cernuntur, tum alius Joannes van Clichtove quem ex registris apparet fuisse scabinum Neoportuensem, circa annum 1550[5], tum denique quaedam Jacqueline de Clichtove, Jacobi Petri Donche uxor, et mater Isabellae seu Elisabeth Donche. Haec anno 1498 nata, celebrem Cornelium de Schepper, circa 1520, in sponsum accepit[6].

1. Scripsit mihi D. Meyer, secretarius civitatis Niewport (28 martis 1890) registra parochialia ante 1600 non existere : unde non cognoscitur certissime annus quo natus est Clichtoveus. At in praefatione libri : *De laudibus trium antiquorum*, anno 1533 editi, Clichtoveus se dixit sexagenarium: potior videtur annus 1472. Erravit ergo Herminjard : *Correspondance des Réformateurs français*, I, dicens illum esse ortum circa 1466.

2. Cf. *Testamentum Clichtovei*, in quo suos esse nobiles (*van de Clichtoue*) insinuat.

3. De *Hieronymo* agitur in thesi, et in Bulaeo, VI, p. 940.

4. Cf. Bulaeum. *Hist. Un. Par.*, VI. Index, p. 959.

5. D. Meyer supradictus descripsit mihi, in epistola supra dicta, Judoci de Clichtove in ecclesia Novoportuensi sepulcrum : Sepultura ven. viri ac D. Judoci de Clichtove, presbiteri, qui obiit a. D. 1494, 29 sept. cujus anima requiescat in pace. Amen. — Hoc sepulcrum, ex albo lapide, nunc videtur in capella Fontium : et fert cupream laminam in qua presbiter ciborium manutenens repraesentatur. Idem Meier indicavit mihi Joannem van Clichtove scabinum, anno 1550. — Cf. *Rev. Univ. Illust.*, mars 1890, p. 292: *Une vieille ville de Belgique: Nieuport.*

6. Cf. *Recherches sur le véritable nom, le lieu de naissance, la famille et les armoiries, la sculpture et les écrits de Corneille de Schepper*... par le baron Jules de St-Genois ; Gand, 1856, p. 8. — « Les quar-

Ut nobilis, sic dives satis erat Clichtovei familia, cum noster, anno 1543, triginta sex libras turonenses adhuc ex haereditate paterna perciperet. Quapropter, a teneris annis, potuit adire celeberrima sui temporis collegia, scilicet, Lovanii, collegium Lilii (du Lys), in quo, juxta Valerium Andream, Foppens, de Smet, rudimenta litterarum accepit[1], et, Parisiis, Becodiense collegium (de Boncourt), in quo primum, anno 1488, id est, vix 15im annos natus, apparet.

Tunc enim temporis, florebat maximè Universitas Paririensis : tunc florebant in illâ multa collegia, et praesertim quae a scolaribus tum ex Belgicis tum ex Picardicis partibus oriundis, frequentabantur. Isti scolares, a 1477 ad 1483, si D. Thurot[2] credatur, fere 177 numero fuere, et plures certe, sequentibus annis, crescente in dies studiorum fama, extitere. Adibant maxime collegium Becodiense, in quo plures ex ipsis, v. g. Theobaldus Parvus et de Gravibus, docente Carolo Frenando ex Brugis oriundo, studebant[3]. Hunc quoque primum magistrum habuit Clichtoveus[4]. Frenandus, postquam fuit Oratorii Caroli Octavi regis capellanus, grammaticae regens, et eloquentia, philosophia, litteris notus, despectis tandem rebus omnibus, monachilem habitum sumpsit, anno 1492, in Congregatione reformata

tiers maternels de noblesse de sa famille étaient : Schepper, Winnoc, Severin, Peussin, Donche, Budun, *Clichtove*, Bourbon. »

Item : *Histoire chronologique des évêques.... de S. Bavon à Gand, suivie d'un recueil des Epitaphes modernes et anciennes de cette église*, Gand, 1772 ; indicatur quidam Borssele, defunctus an. 1576, cum his « quartiers » : Borsselle, Renty, Harlem, Quieret, Lauryn, Donche, Pedaert, *Clichthove*.

1. De collegio Lilii, Cf. *Analectes pour servir à l'histoire ecclésiastique de la Belgique*, 2a series, t. IV (20us ex collectione), 1886. — *Historia Lovaniensium*, Molani, p. 285.

De collegio Becodiensi (Békoud, Boncourt). Cf. *Histoire de la Ville et de tout le Diocèse de Paris*, par Lebeuf, éd. Bournon, 1883, I, 253. *Chart. ad Univ. Par. spectantes*, II, 149. Jordanus citat litteras Petri Békhoud domini de Flechinet, quamdam domum in monte S. Genovefae anno 1353 ementis, pro scolaribus diocesis Morinensis, designandis ab episcopo vel abbate Si Martini.

2. Thurot. *De l'organisation de l'enseignement dans l'Université de Paris au moyen âge*, 1850, p. 41.

3. Multi, etiam Hauréau, (*Biographie Didot* : Frenand) erraverunt de Frenandi nomine, ortu, dignitate, operibus, familia et morte. Quae omnia correxit R. P. Colomb, O. S. B., monachus S.-Vincentii Cenomanensis. (*Journal de Verdun*, déc. 1765, p. 447). Vide Ul. Chevalier, *Rép. des Sources hist.*

4. Clichtoveus, forsan anno 1488 studia inchoavit, quia 18 annos ante Doctoratum (1506) studere necesse erat.

Sagiensi, apud Casam Benedicti (Chezal-Benoit) et postea, anno 1514, abbatiae S. Vincentii Cenomanensis bibliothecarius renuntiatus est; in qua 10ª die junii 1517 obiit. Ast, ex monasterio, non paucas ad discipulos vel ad praecipuos suae aetatis viros misit epistolas, quas J. Badius, etiam ipso vivente, typis mandari curavit. In quadam ex illis ad Clichtoveum destinata, se Clichtovei fuisse magistrum, praesertim in latinis litteris, gloriatus est. Et revera, Clichtoveus Frenandi tum stylum fere Ciceronianum, tum devotionem erga B. Virginem, tum zelum reformationis monasticae, imitatus fuisse videtur. Frenando forsan dictante, sex disticha, prima forsan quae edidit, operi *De transitu B. Hieronymi* adjunxit (1488)[1].

CAPUT SECUNDUM.

CLICHTOVEUS, IN COLLEGIO CARDINALIS-MONACHI, DOCENTE JACOBO FABRO STAPULENSI, STUDET ARTIBUS, MAGISTER ARTIUM RENUNTIATUR ET PRIMA EDIT OPERA.

(1490-1498)

At, circa 1490, a Becodiensi collegio ad collegium Cardinalis-Monachi[2] transiit Clichtoveus, alium Magistrum in artibus nominatissimum et tunc nationis Picardicae ornamentum, Jacobum inquam Fabrum Stapulensem*, auditurus. Iste, qui Reformationis in Gallia praecursor in posterum a pluribus habitus est, apud coaevos summam scientiae laudem adeptus erat, et quasi litterarum humaniorum restaurator proclamabatur. Quippe qui ex primis Italiam, quam artium litterarumque nutricem Galli omnes reverebantur, anno 1488-1489, perlustraverat[3], ejusque insigniores civi-

1. Quoties citatur opus quoddam, recurrendum est, in Catalogo operum Clichtovei, ad annum quo editum est, ut habeantur ipsius titulus, editiones, et typographi.

2. Degebat in collegio Card. Monachi anno 1490, quia cum Jac. Fabro et Pellitario testatus est, anno 1508, quemdam de Gravibus, jam a 18 annis, in collegio isto studia inchoasse. Cf. Jourdain. *Excurs. hist.*, p. 265, et *Chartae ad Univ. Par. spect.*, p. 320.

3. Graf videtur errasse, assignando nunc anno 1482, nunc anno 1492, iter Fabri in Italiam, ex epistola quadam Rhenani (Bul. VI. 942), scribentis Fabrum occurrisse tunc Argyropilo Bizantio, qui mortuus est anno 1486. At Hieronymus Papiensis, et Faber ipse, dum enumerant viros quibus Faber in Italia incidit, Argyropilum non indicant. Dein, anno 1490, Faber cum Clichtoveo

tates, Florentiam, Paduam, Papiam, Romam, Venetias, fuerat miratus. Ibi familiariter fuerat collocutus, non tantum cum advenis illustribus, ut anglico Cuthberto Tunstallo, sed et cum doctissimis quibus tunc gloriabatur Italia viris, scilicet, Venetiarum, cum Aldo Manutio, celebri typographo, et Hermolao Barbaro patricio, cum Hier. Donato, Petro Pascalico, Vinc. Quirino[1], et alibi, cum Angelo Politiano, Marsilio Ficino, Pico de Mirandula, Hermonymo Spartiate. Aristotelis Platonisque sectatores, tunc inter se maxime disputantes, aequali studio frequentaverat, et ab iis plures textus graecos Aristotelis ad usum scholarum gallicarum acceperat. Inter caetera, exemplar, quod erat unicum, translationis Metaphysicorum Aristotelis a Bessarione cardinale e graeco factae, Picus de Mirandula ei dederat.

Haec peregrinatio maximam omnibus intra Gallias movit admirationem et quasi eventus omnino faustus habita est. Juxta multos, plus aequo Fabro forsan tribuentes, scolasticae barbariei finem[2] et quasi primam litterarum renovationem, visa est intulisse. Camperius Lugdunensis, anno 1507, et Hieronymus Papiensis, anno 1514, affirmabant Fabrum traduxisse ad Gallos litterarum scintillam quae trans Alpes fulgebat. Imo haec peregrinatio supra modum a posteris laudata est, cum quidam existimaverint Stapulensem, non tantum Italiam, sed etiam Africam et Asiam, perlustrasse, atque in his regionibus, graeca, latina, hebraica et chaldaica idiomata hausisse.

Haec Fabri fama augebatur ex Magistris celebribus quibus Parisiis usus fuerat; siquidem ab Hermonymo Spartiate et a Paulo Emilio linguam graecam, a Jacobo Labinio et a Ja-

libros Physicos Aristotelis edebat. At circa 1488-1489, Italiam perlustrasse dicendus est. Etenim in quatuor dialogis introductoriis ad Metaphysicam, anno 1490, dicit Faber G. Gonterium ipsi fuisse comitem in Italia. Haec jam Leclerc animadverterat. Ceterum de Jacobo Fabro St. confer *Répertoire des Sources hist. du Moyen-Age*.

1. *In Politica*, 1505.

2. Notandum jam pluries in saeculo decimo quarto et quinto litteras in Gallia accepisse magna ex Italia incrementa aetate simul et opera sive Joannis de Monsterolio (1354-1418), sive Nicolai de Clamengiis († v. 1434). De Joannis de Monsterolio vita et operibus diserte dissertus est Ant. Thomas, 1883; de Nicolao de Clamengiis nonnulla magni pretii dicturus est R. P. Denifle, O. F. Pr. in 3° *Chartularii Universitatis Parisiensis* tomo. Bella transalpina Caroli Octavi, quae tempore Clichtovei recentissima erant, saniorum studiorum amorem apud nostros excitaverant. Caeterum numquam defuerat penitus litterarum cultus: et etiam ante Fabrum non nulli erant viri veris litteris imbuti. Frenandus, scilicet, Raulinus, Guillelmus Fichetus, Robertus Gaguinus.

cobo Turbelino musices Theoriam, acceperat. Commendabant quoque Fabrum tum variae dotes quibus pollebat, tum scilicet modestia non mediocris quâ sibi discipulos, magistros, optimates, devinciebat, tum liberalior quam in tradendis philosophicis, theologicis humanioribusque disciplinis adhibebat methodus, tum denique dulcis qua fovebat alumnos dilectio.

Quo docente, Cardinalis-Monachi collegium ita inter cetera eminuit, ut vix intelligatur Carolum Jordanum[1], Magistrorum hujus collegii seriem a Vatablo circa 1526 tantum inchoasse, omisso prorsus Jacobo Fabro Stapulensi, qui, a 1490, plaudentibus discipulis, hoc in loco litteras fere renovavit.

Ibi etenim, sub provisoribus Ravelone et Theobaldo Parvo (1496), multos congregavit auditores, tum advenas, ut Boleslaum Tinnensem, Davidem Lauxiacum, Bohemum, Ludovicum quoque Villamnovam, hispanum, Eleutherium Audacem, belgam, tum gallos, ut Guillelmum Gonterium et Stephanum ejus fratrem, tum maxime Picardicos, ut J. Michault, de Gravibus, Petrum Boussart, Thomam Daillet, Joannem Pellitarium, e dioecesi Ambianensi oriundos, tum denique Carolum Bovillum Noviomensem, qui Fabro ruri villicanti, dum Lutetiae saeviebat pestis, anno 1495, feliciter obvius fuit.

At primus inter omnes Fabri auditores eminuit Clichtoveus; qui cum prius grammaticae, logicae, physicae, et moralibus studuisset, Magister artium, anno 1492, renuntiatus est: dein Bibliae theologicisque auctoribus vacavit et baccalarius in Theologia anno 1498 nominari meritus est. Nec tantum pro semetipso insudavit, sed etiam pro magistro Fabro studiosisque artium juvenibus. Fabri enim *Introductiones* vel *ad VI primos libros Metaphysicos* (1490) vel ad *libros Physicos Aristotelis* (1492), addito exhortatorio vel regratiatorio carmine[2] ad socios et typographum Hygman,

1. *Le Collège du Cardinal Lemoine*, Excursions historiques et philosophiques à travers le Moyen Age, p. 268-302.

2. Jac. Fab. Stap. in physicos libros Arist. Hygman, 1492, in-4. « Carmen decastichum Judoci Clichthoue (*sic*) regratiatorium eorum qui hoc opus imprimi curaverunt.

Laudatur Phidias : pictor laudatur Apelles.
Laude magis dignor qui premit aere notas.
..... Debetis grates Alemanno et adusque Joanni
Higman qui propriis sumptibus egit opus.
Mendam corripui fido comitante Bohemo
(Ut potui) in plumbo si qua relicta fuit.

cum Gonteriis fratribus, necnon Bohuslao et Bohemo, collegit et correxit : item, auxiliantibus adhuc Gonteriis et Davide Lauxio, ejusdem Fabri *Introductiones ad libros Logicos* edidit (1498). Ex seipso tandem, studiosae juventuti obtulit, tum librum de *Eloquentia Gasparini Pergamensis*, tum commentaria a se composita in *Regulas Elegantiae* Aug. Dathi, Francisci Nigri, tum denique tractatum cui titulus *Nomina Magistratuum Romanorum*, quem ex Musaeo Cardinalis-Monachi provisori Theobaldo Parvo dedicavit (1498).

CAPUT TERTIUM.

CLICHTOVEUS PRIMOS GRADUS THEOLOGICOS MERETUR IN COLLEGIO SORBONAE.

(1498-1506)

Attamen anno 1499, ex collegio Cardinalis-Monachi ad Sorbonam transiit Clichtoveus. Constat enim ex computo a Thoma Faverel reddito de denariis a 1ª octobris 1499 ad 1ªm octobris diem 1500 pro libraria Sorbonae receptis, Clichtoveum fuisse tunc cum Nicolao Clerico et Joanne Gueffier in socium Sorbonae post deliberationem in Capella admissum. Hic enim legitur : « *A Mº Nicolao Clerico recepto in socium sexdecim asses par. A Mº Judoco Clichtoveo, pro eadem causa, sexdecim asses par. A Mº Joanne Gueffier, pro simili causa, sexdecim asses par*[1]. » Et quidem saepius in posterum, sive in Fundationibus, sive in suo Testamento, sive in Kalendario Sorbonico, titulus *socii Sorbonici* ipsius nomini adjunctus est. Officiis etiam et privilegiis eidem titulo annexis potitus est. In registro quo Bibliothecae custodes a 1402 ad 1531 usi sunt, legitur Clichtoveus, ait Chevillerius, cepisse die 23ª aprilis 1504, clavem parvae librariae et 23ª octobris clavem arcae continentis claves arcae majoris, et singulis vicibus jura debita solvisse, et tandem istas claves restituisse. Ibidem invenitur accepisse iterum 6ª nov. 1505 clavem librariae, designatum quoque fuisse Bibliothe-

1. Hoc computum legitur in : *Registre des procureurs de la maison de Sorbonne*, f. 111. Cf. Chevillier, p. 413.

carium seu « parvum librarium » cum Thoma Faverel, et cum ipso summae in arca existentis die qua munus obibant, computum fecisse[1]. Non adeo tamen Clichtoveus fuit Sorbonae socius, quin simul esset, anno 1500, juxta Launoium, hospes Navarrae[2], ubi degebat G. Briconnetus cujus erat praeceptor, et quin collegium Cardinalis-Monachi, in quo docebat J. Faber Stapulensis, frequentaret.

Interea gradus theologicos juxta statuta Universitatis Parisiensis prosequebatur. Tanquam baccalarius biblicus cursor, per tres annos (a 1498 ad 1501) librum unum Veteris Testamenti, alium Novi publice interpretatus est : ex quibus lectionibus nihil superest. Tanquam baccalarius sententiarius, anno 1501 durante, 4^{or} libros *Sententiarum* Petri Lombardi professus est. Disputationes tunc ab ipso susceptas, Clichtoveus integras rescripserat in duobus Codicibus quorum prior 11^{a} junii 1501, posterior 11° novembris expletus fuerat ; hos Codices a Launoio citatos Chevillerius adhuc XVII° saeculo, in Bibliotheca Navarrae, inspexerat. Idem forsan erant, qui in Catalogis a Davole et Masson factis inscribebantur sub n° 298 et sub titulo : *Jod. Clichtovei quaestiones et conclusiones theologicae.* Nos quidem illos reperire non potuimus ; at, felici casu, ex eis aliquid Launoius extraxit, scilicet prooemium et positionem duarum Clichtovei *Tentativarum*[3].

Quarum prior sic exordiebatur :

« Quaestio ab ingenuae indolis adolescente mihi proposita et dignissimi Magistri nostri cathedram moderantis auspiciis disputanda, hoc verborum contextu continetur : Utrum operationum humanarum quibus homo meretur vel demeretur voluntas sit praecipua causa. » Et post alia : « Tria secundum observatam hactenus consuetudinem sum peracturus : primo conclusiones praecipuas et annexa illis corollaria ordine quodam propositurus, suis rationibus accommode probanda ; — secundo, dissoluturus doctissimi domini Praesidentis validissimas rationes quibus meas assertiones impugnaturus est — et tertio, eruditissimorum Baccalaureorum acerrimis argutiis quas contra propositiones

1. Haec leguntur in supradicto registro, juxta E. Chevillier, fol. 103, 105, 129.

2. Launoius, *Nav. Gymn. Par. Hist.*, p. 477, citat septem theologos cum Clichtoveo studentes.

3. *De scholis celebrioribus*, p. 165, et *Reg. Nav. Gymn. hist.*, p. 397.

intorquebunt, ut ferent vires, responsurus. Quorum primum ut aggrediar, conclusiones meas principales et illis accessorias atque appendiciias certa serie digerere aggredior, protestans tamen me nihil temere contra catholicae fidei sinceritatem, contra Ecclesiae probatorumque Doctorum determinationem, asserturum. Quod si quid contra, levitate linguae aut judicii obliquitate atque errore exciderit ore meo, his quae in sacratissima fide probata sunt, id tanquam non dictum haberi et ut nunc revocatum facili venia aboleri obnixius oro. »

Posterior quaestio haec erat : « Utrum viatori ad aeternam salutem consequendam necessarius sit baptismus ? » Et evolvebatur iisdem fere terminis ac prior.

Tres annos (1502-1505) Clichtoveus consumpsit in lectionibus diversisque disputationibus quae fieri solebant ad licentiam obtinendam : inter quas citanda est *Magna* ejus *Ordinaria*, quam, testante Launoio[1], in collegio Sorbonae sustinuit, revocandusque etiam ultimus cursus, quem, ut Clichtoveus ipse testatur in primo alicujus ex libris suis folio[2], 3ª martis 1506, perfecit. His actibus tandem expletis, a Cancellario Ecclesiae Parisiensis evocatus est ad licentiam docendi, eamque ordine meriti sexto gradu accepit[3].

1. *Regii Navarrae Gymnasii Paris. historia*, p. 609.
2. *Ludolphus de Saxonia*, Bibl. Mazar. 35980.
3. En seriem licentiatorum scolarium cum Clichtoveo, ex codice B. N. f. latin. 15440.

1. M. Philippus Grivelli, Sorbonicus.
2. F. Joh. de Fenurio, praed. praeses.
3. M. Joan. Major Scotus, de collegio Montano vel, juxta Launoium, Navarricus.
4. M. Lud. Pithois.
5. M. Nicol. Clerici, Sorbonae prior, quondam decanus Facultatis.
6. M. Judoc. Clichtoveus, Navarricus.
7. M. Jac. Bartholomeus, Sorbonae prior.
8. M. Franc. de Beauveau, minor.
9. M. Julian. Eschart.
10. M. Thomas Faverel.
11. M. Hier. de Aranda.
12. M. Joan. Le Camus, ex collegio Retteo.
13. M. Joan. de Hestray, Navarricus
14. M. Franc. de Rupe, Benedictinus Maj. Mon.
15. F. Joan. de Morterii, Augustinus.

CAPUT QUARTUM.

CLICHTOVEUS, IN COLLEGIO SIVE SORBONICO SIVE CARDINALIS-MONACHI, FABRI LIBROS DE ARTIBUS COMMENTATUR DISCIPULOSQUE IPSE DOCET, INTER QUOS GUILLELMUM BRICONNETUM, LODOVENSEM EPISCOPUM ET CARDINALIS AMBASIANI NEPOTES.

(1498-1506)

Interea, dum talibus vacabat studiis, insignem sibi locum, celebres inter hujus aetatis Magistros, Clichtoveus parabat. Et quidem, nec pauciores, nec mediocres erant doctores, quibus tunc gloriabatur Parisiensis Universitas, si fides adhibenda sit Jacobo Sturmio, dum vigentia anno 1502, quo Beatus Rhenanus Lutetiam advenit, studia describit: « Post hanc disciplinam, ait, missus (Rhenanus) Lutetiam est: quo etiam Sapidus tertio post anno subsecutus, Beatum domi Aristotelis *Œconomica* explicantem audivit. Florere ea aetate coeperunt magis quam antea in Gallia et Germania litterae. Graecas enim tum Lutetiae Georgius Hermonymus Spartanus docuit, quem diu multumque audivit, et *Dialectica Physicaque Jacobus Faber, ejusque discipulus Judocus Clitoveus explicabant, quorum utrique fuit familiaris.* Fuit circa id etiam tempus Lutetiae Erasmus Roterodamus, qui primum *Adagiorum* divulgatione coepit magis quam antea inclarescere. Faustus etiam Andrelinus ibi magna auditorum frequentia poetas docuit et epistolas suas adagiales conscripsit... Bona tunc temporis litterarum conditio fuit quae, diuturna et inveterata barbarie suppressae, postquam in lucem revocari coeperunt, magnum sui desiderium excitarunt[1] ».

His Magistris annumerandi sunt: in collegio Navarrae, Ludovicus Pinella, post J. Raulinum provisor, et cum ipso

1. De studiis in Gallia, Italia, Germania, vide J. Sturmium in *Vita Beati Rhenani*, Froben, 1551. « Tunc, ait, in Italia vivebant Angelus Politianus, Hermolaus Barbarus, J. Picus Mirandula, Theodorus Gaza, Georgius Trapezuntius, Marsilius Ficinus, Jovianus Pontanus: in Germania nondum nisi R. Agricola, Hegius, Erasmus: adolescebat Melanchton. » Haec *Vita Beati Rhenani* ab Horawitz et Hartfelder in fronte Epistolarum ejusdem edita est, Leipzig, 1886.

Petrus a Valle, professor, Martialis Mazurier, Rob. Guerin, Petrus Merlinus, baccalarii cursores; in collegio Montis-Acuti, Beda qui feroci Standouck ut provisor successerat; in Sorbona, Egidius Delft, Martini Magistri olim auditor, Buridanique operum editor, qui, propter suam poeseos peritiam, Delphus Apollo fuit etiam vocitatus. Theologiam quoque docebant Boussard, Mainterne, pluresque alii non ignobiles.

Quibus Magistris non deerant discipuli, si credendum sit Hieronymo Munser[1], juxta quem Parisiis tunc studebant scolarium fere quindecim millia, ex quibus novem millia ex longinquis regionibus venerant. Ast inter coeteros eminebat coetus discipulorum Fabro addictorum, cui nuperrime socium se dederat Robertus Fortunatus; isti fere omnes, impellente Fabro, diversos scribebant libros.

Faber quidem, utpote scientia praeditus universali, non tantum artibus, mathematicae, videlicet et musicae incumbebat, sed paulatim a philosophia aristotelica ad platonicam, imo ad theologiam mysticam et ad Sacras Scripturas progrediebatur. Totus ergo in edendis tractatibus mysticis, provinciam sive artium sive aristotelicae disciplinae, discipulis suis relinquebat: quam Bovillus et Clichtoveus non inexploratam dimisere. Bovillus enim plura de geometricis et mathematicis scripsit, Clichtoveus autem adhuc multa candidatis artium utilia in lucem emisit. Quas olim mendis, ut corrector, purgaverat, Fabri *Introductiones*, easdem commentariis, doctior factus, adornavit: *Introductiones* scilicet Fabri *ad libros Logicos*, anno 1500, *ad libros Physicos*, anno 1501, *ad Morales*, anno 1502. Anno tandem 1503, cooperantibus Fabro ipso et Bovillo, diversos tractatus scientificos in unum collectos edidit. His forsan temporibus scripsit Clichtoveus Codices olim in Catalogo Bibliothecae Navarrae indicatos sub numeris 409 et 422, *Logicam*, scilicet, et *Collectanea in Dialecticam et Ethicam Aristotelis*. Tunc degebat in collegio Cardinalis-Monachi.

Quae quidem opera, utpote studiosae juventuti destinata, causa fuere cur multi ex omni regione discipuli ad Fabrum Clichtoveumque confluerent: ex Polonia, scilicet, Joannes Solidus Cracoviensis, et Volgatius Pratensis, et forsan Petrus de Porta: ex Helvetia, duo Amerbachii, celebris typographi Basileensis filii; ex Alsatia, Beatus Rhenanus,

1. Janssen, *Histoire du peuple allemand*, II, p. 75.

Erasmi amicus; ex Batavia, Aventinus dictus Turmair, hujus nationis postea historiographus; ex Germania, Michael quidem Suther, idem forsan qui ducis Hessae cancellarius evasit, et tandem ex Hispania, quidam Alvarus. Inter quos, plures non tantum Magistros suos audiebant, sed et in operibus edendis adjuvabant. Joannes Solidus Cracoviensis, qui comes Fabro in alio itinere Romano anno 1500 fuerat, ad ejusdem utilitatem librum Job transcripsit: Solidus etiam, cum Volgatio Pratensi, tractatus quosdam mysticos, Fabri nomine, attente revisit. Rhenanus item et Petrus de Porta similem Clichtoveo operam praestitere.

Praeter istos memorandi sunt illi viri nobiles simul et litterati, quibus nostri plures ex suis libris dedicavere: Germanus quidem Ganayus (de Ganay), virorum omnium doctorum maximeque Fabri patronus, Stephanus etiam Poncherius, cancellarius regius, Stephanus Ferrerius, mox Vercellensis episcopus, Joannes Molinari, et Philippus Praepositus Atrebatensis, et inter omnes eminentissimus episcopus, Guillelmus Briconnetus.

Briconnetorum familia[1] ex provincia Turonensi orta, jam sub rege Carolo VIII° altissimos in Ecclesia et aula gradus occupabat: unus quidem Rhemensis archiepiscopus fuit, alter a Macloviensi sede ad Rhemensem et ad Narbonensem translatus est et ad cardinalatum fuit promotus. Iste, priusquam sacerdotium ingrederetur, matrimonio contracto, duos filios genuerat: Dionysium, Tolonensem primo, deinde Macloviensem et tandem Lodovensem episcopum; Guillelmum quoque qui fuit anno 1487 Lodovensis episcopus, anno 1507, abbas S. Germani de Pratis, et anno 1516 ad Meldensem sedem fuit translatus. Quidam ex illorum cognatis, Petrus inquam Briconnetus, aerario regali praeerat; Guillelmus ipse episcopus civilibus dignitatibus a rege fuerat ornatus, propter quas a lege residentiae fuerat exemptus. Favebant omnes Clichtoveo Fabroque: Fabro quidem Petrus Briconnetus suum filium Franciscum commisit educandum, et ab eo cujusdam operis dedicatoriam epistolam accepit. Guillelmus quoque semetipsum Clichtoveo tradidit instituendum, etsi jamdiu erat episcopus, et ambo in collegium Navarrae quasi in solitudinem secedentes, simul per dies integros, occlusa sera, Doctores antiquos et Patres pervolvere visi sunt.

1. Guy Bretonneau: *Histoire générale des Briçonnet.*

Magni quidem momenti habenda est Clichtovei cum tali viro amicitia. Guillelmus enim, sicut J. Faber Stapulensis, ad mysticos sensus erat propensus, et zelo spiritualis renovationis accensus, reformationi religiosae in Gallia aliquandiu cum Fabro favere visus est: utrumque primo secutus est Clichtoveus, proptereaque quasi novarum in religione rerum amicus est habitus.

Attamen, jam anno 1506, Guillelmum Briconnetum dimiserat; Franciscum autem et Godefridum, Jacobi Ambasiani, Claromontani episcopi nepotes, susceperat educandos.

CAPUT QUINTUM.

CLICHTOVEUS SUB PETRO DE VALLE DOCTORATUS LAUREAM RECIPIT.

(1506)

Etsi tot et tantis distraheretur negotiis, Clichtoveus ad colligendam Doctoratus lauream se accingebat.

Primo quidem, Vesperiam suam[1], sub Petro de Valle magno Navarrae post Pinellam Magistro, 17ª novembris 1506, sustinuit.

Juxta Bulaeum[2], die 28 ejusdem mensis, « supplicavit in facie nationis Picardicae honorabilis Magister Judocus Clichtoveus, dioecesis Morinensis, in Theologia licentiatus bene meritus, quod Natio dignaretur ei porrigere manus adjutrices pro suo Doctorali gradu propediem suscipiendo, illique gratuitum aliquod munus pecuniarium praestare, quemadmodum aliis in simili casu aliquando consueverat. Super qua supplicatione praefata Natio decrevit unanimiter et nemine contradicente, attentis laboribus per praedictum Magistrum Judocum susceptis in adolescentium moderatione tam in grammaticis quam in artibus, pro perficiendo Magis-

1. De his Actibus academicis, Vesperia, Aulica, Tentativa, etc., vide Thurot, opere citato, p. 136. Vide etiam Launoium, *Regii Navarrae gymnasii hist.*, p. 609.
2. *Hist. Un. Par.*, VI, 959.

terio in Theologia liberaliter ei concedere et tradere 12 *scuta* auri, illi a Receptore tradenda, cum primum habuerit pecunias Receptor ». Quae summa a Jacobo Ambasiano adhuc amplificata, in expensis tum receptionis, tum prandii a novo Magistro condiscipulis offerendi, erat impendenda.

Pridie nonas decembris, Clichtoveus Magister in Theologia renuntiatus est, ait Launoius[1], qui nobis diversas concionum tunc ab ipso habitarum partes reliquit, ex quibus praecipuos auditores facile noscimus.

Aulicam siquidem pronunciavit in aula Parisiensis episcopi, ut consuetum erat, ibique redditis Deo et coelestibus gratiis, ad mortales sese convertens, subjecit : « Deinde dignissimo Sacrae Facultatis Theologiae decano honorandisque Magistris, Sacrarum Litterarum interpretibus exactissimis, qui, pro sua benevolentia, me in suum admiserunt consortium, grates itidem agimus immortales, praesertim praestantissimo Domino Procancellario et Regii Collegii Navarrae Moderatori primario, Magistro Petro de Valle, qui me in theologica desudantem palaestra singulari benignitate pervigilique cura direxit, suoque moderamine ad optatum usque finem perduxit. »

Easdem gratias singulis et Procancellario praesertim repetebat, tum in concione intra B. Virginis basilicam habita, tum tertia vice in cursu dicto Magistrali, quem statim inchoabat noviter ad Doctoratum promotus. Haec enim in ista lectione proferebat Clichtoveus :

« Deinde (grates agimus) dignissimo Facultatis Sacratissimae Theologorum Decano et sapientissimis Magistris nostris, Sacrarum Litterarum professoribus eximiis, qui me suo dignati sunt honoratissimo consortio ; gratias itidem habemus non mediocres praestantissimo Domino Vicecancellario et Regalis domus Navarrae moderatori praecipuo, qui nostram inter fluctus et procellas pelagi cymbam sedulo gubernavit et ad optatum stationis tutae portum perduxit. »

« Deinde RR. in Christo Patri Jacobo de Ambasia, episcopo Claromontano abbatique Cluniacensi, qui pro sua humanitate nepotes suos ingenuos mihi instituendos commisit, et ad absolvendum hunc Actum largas suae munificentiae manus porrexit, meipsum totum debeo. »

1. *Regii Navarrae gymnasii Historia*, p. 397, 609.

« Necnon et sacratissimo praesuli Lodovensi, Guillelmo Briconneto, plurimum sum obnoxius..... »

« .... Meo vero praeceptori semper observando, Jacobo Fabro Stapulensi, cujus moderationem et institutionem mihi obtigisse, non minus gaudere et gloriari debeo, quam olim Philippus rex Macedonum gavisus est Alexandrum filium, temporibus Aristotelis cujus doctrina institueretur, sibi natum. »

« Venerandae praeterea Nationi Picardorum perpetuo devinctus sum obsequio, quod materna viscera sua in me alumnum extenderit, gratuitoque pecuniariae donationis munere me cumulaverit. »

« Vobisque denique commilitonibus meis haud modicas identidem gratiarum actiones debeo quod hactenus cum summa benevolentia sub iisdem tectis versati estis, meum nunquam contubernium aspernati. »

Ergo solemniter haec acta fuere[1]. Aderant quippe virorum nobilium et ingenio praestantium turba, scilicet, tum Navarrae studentes, ut Joannes Major[2], Martialis Mazurier, Jacobus Merlinus, Jacobus Almainus, J. Sudorius, Nicolaus Raulinus, Stephanus de Loreto, Oliveriusque Lugdunensis, quorum plures notissimi evasere, tum illi qui cum ipso fuerant licentiati, tum denique Facultatis Decanus et Claromontanus episcopus. Absentes tamen erant Briconnetus et Faber, qui simul regem Bituricas euntem secuti fuerant. At Stapulensis discipuli non erat immemor. Ex hac urbe, 13ª febr. 1507, quamdam epistolam cum Damasceni Joannis traductione ab ipso inter tumultus aulicos perfecta, ad Aegidium Delft dirigebat, petens ut ipsam corrigeret cum Clichtoveo qui, ut aiebat, « te adjuvante, pauci fluxerunt dies, sacro Doctorum coetui insertus est. »

Gravis olim quaestio, inter viros doctissimos, Launoium et Chevillerium, orta est et discussa, utrius collegii Doctor

1 Clichtoveus deinde, juxta institutum Facultatis theologicae publicum sermonem habuit ad Clerum prima Dominica Quadragesimae (21 feb. 1507), in hoc textu : *Militia est vita hominis super terram. Homiliae seu sermones*. Coloniae, Quentel, 1550, p. 66.

2. De collegio Navarrae vide Elogia a Launoio collecta, ex Boussard, p. 585, Raulino, p. 581 et Budaeo, p. 604 : « Nunc, inquit, porticus duae Orthodoxiae, Sorbona et Navarra, et philosophicae Theologiae tanquam oracula duo nominatissima, quà fines cuique patent et Latinae jam et Atticae Minervae non modo sedendi locum sed etiam loquendi inter se disputantes dederunt. » Vide etiam Launoii partis 2ᵃᵉ librum unum.

fuerit Clichtoveus, Sorbonicine an Navarrici, et uter suae thesi praesidere debuerit, Petrusne de Valle, Navarrae provisor, an Aegidius Delft, Sorbonae prior. « Toutes les fois, dicit Chevillerius, que MM. les Bacheliers de Navarre dans la solennité des Paranymphes font l'éloge des Docteurs de leur maison, on y entend presque toujours celui de Clichtou. Mais aussi toutes les fois que M. Bouvot, greffier de la Faculté, qui savait beaucoup de particularités touchant cette compagnie dont il gardait les registres, se trouvait à cette cérémonie, il ne manquait pas de réclamer et de dire assez haut que Clichtou était non de Navarre, mais de Sorbonne, qu'en cette qualité, il était peint à une vitre qu'il avait vue dans l'ancienne église de cette maison. »

« Le célèbre critique, feu M. de Launoy, Docteur de la maison de Navarre, se trouvant un jour à ces Paranymphes, entra en quelque contestation avec lui à ce sujet. Et ça été l'un des motifs qui l'ont porté à faire son *Historia regiae Navarrae gymnasii*, in-4°, 1677, où il parle en trois endroits de Josse Clichtoue. Dans l'un, il emploie cinq pages à prouver qu'il était de Navarre. »

Ipse Chevillerius totum caput ultimum sui libri: *Origine de l'imprimerie*, Paris, 1694, pp. 410-422, ordinat ad vindicandum ut doctorem Sorbonae Clichtoveum : cui videtur assentire Leclerc. At recenter, Vander Haeghen, Bibliothecae Gandavensis custos, in praefatione ad Bibliographiam Clichtovei, novam conclusionem proposuit, quae textus omnes conciliat : Clichtoveum scilicet socium fuisse Sorbonae et in ipsa plures gradus academicos obtinuisse, sed Doctoratus lauream sub Petro de Valle, Navarrae provisore, fuisse adeptum.

CAPUT SEXTUM.

CLICHTOVEUS DOCTOR REGENS IN FACULTATE THEOLOGICA ET AMBASIANORUM PRAECEPTOR.

(1506-1512)

Obtento ergo Doctoris titulo, Clichtoveus diversis simul functus est officiis. Siquidem docuit in Facultate theologica, Fabroque, ut antea, tanquam fidus auxiliator adhaesit, Am-

basianosque etiam juvenes, praeceptoris more, instituit. In collegio etiam Navarrae, patroni, videlicet, S. Ludovici Galliae regis elogium, 25ª augusti die 1507, pronunciavit[1], quod solis viris illustribus concedebatur: qua occasione, Navarricae domus magnifice laudes enarravit: « Haec florentissima Domus Navarrica, clamabat, litteratissimorum virorum foecundissima nutrix, et multiplici semper prole beata, (S. Ludovicum) quotannis praedicandum delegit, Regalisque Domus regem reverenter honorat. In ea Vallis tutissima munitissimaque conspicitur (alludit nomini Petri de Valle provisoris) firmissimaque Petra totam aedificii structuram consolidans, secundum Isaiae oraculum, aquae coelestis aspergine impleta, et ut sacriloquus loquitur David, spirituali frumento doctrinae largiter abundans.... Verumtamen quia ex hujusce Vallis foecunditate litterariam suscepi educationem, non potui oblatam detrectare provinciam. In ejus declivitate tutus delitui, dum procellarum peractae navigationis inundarent fluctus: par est igitur tutelam hoc quantulocumque officio compensare. »

Apud Sorbonam, tum librariae claves denuo cepit, 31ª octobris 1510[2], tum Sacram Theologiam, ut patet ex epistola quadam Bovilli, professus est, tum quoddam instituit officium, 10 martis 1510, in honore S. Judoci et S. Caeciliae, in qua seipsum Doctorem regentem nominat, et « Phil. de Noziers, priorem, Car. Guerin, Joan. Boycim, Claud. Felicem, J. Bartholomeum, Pet. Sutorem (Le Couturier), Doctores, Nic. Lamy, licentiatum, Lud. Ber[3] et Pet. de Salamanca, socios et ejusdem collegii bursarios », ut testes invocat[4].

In collegio Cardinalis-Monachi, praeter nepotem suum Hieronymum Clichtoveum, qui ingressus anno 1504, Magisterque artium sub Nicolao Foault factus, anno 1507, lectiones dabat, et *De transitu B. Hieronymi* antiquorum epistolas edebat, ipsum Fabrum Stapulensem, ut solebat, adiit. Ille vero, mox Briconnetum episcopum secutus, monasterium S. Germani de Pratis, in quo perpulchra erat bibliotheca,

1. Est inter ejus *Sermones*, 1550. Quentel, p. 392.
2. *Livre des Bibliothécaires de Sorbonne*, f° 105. Chevillier, p. 414.
3. L. Ber. Vide Budinski, p. 150, et *Epistolas* Erasmi, aut Udalrici Zazii, etc. Ber erat valde amicus Erasmi, dum iste Basileae vivebat, item Cantiunculae et Zwinglii et aliorum eruditorum.
4. Chevillier, *op. cit.*, p. 415

habitavit, ibique, ab auctoribus mysticis ad Scripturas ipsas semper ascendens, praeter Damascenum *de Orthodoxa fide* (anno 1507), praeter Richardum de S. Victore, Bernonem *De Officio missae*, Hegesippi *Historias* (anno 1510), Riccoldum, *contra sectam Mahumetanam* (1509), duo volumina de Scripturis critica edidit, scilicet *Psalterium Quincuplex* (1509), et *Commentaria in Epistolas divi Pauli* (1512).

Qui, dum talibus indulgebat studiis, indesinenter amicos et discipulos ad artes colendas hortabatur. Budaeo, editionem operum S. Hilarii curanti, codices ineditos, auxiliantibus Solido, Fortunato Badioque, quaerebat. Ipsi etiam Badio, duo Iliadis carmina latinis versibus a Laurentio Valla vestita et e Roma relata, committebat evulganda. Aleandrum Aurelianis reducem Theocritumque omnium plausu lectitantem fovebat. At maxime circa suos versabatur; aliis, scilicet J. Solido Cracoviensi, Volg. Pratensi, Rhenano, et post ipsum (1508) Hummelbergio, ut correctoribus utebatur : alios vero ad scribendum impellebat, Bovillum, scilicet, ad imprimendos apud episcopum Ambianensem, *Arithmeticae* theoricae autmysticae libros, Fortunatum ad edendos *S. Cypriani* tractatus (1512), Clichtoveum vero, ad condenda plura mystici etiam generis opera, necnon pauca ad artes spectantia[1].

Clichtoveus enim, magistrum imitatus, tum ipsius *Paraphrases in Philosophia naturali* cum dedicatione ad Pinellam, ad usum artistarum, rursum typis mandavit, tum translata jam a Fabro *Damasceni opera* commentariis, ad usum Theologorum, adornavit (1512). Item coetui Theologorum : *Cyrilli Alexandrini opus in Evangelium Joannis* (1508), necnon *Epistolas apostolicas* tradidit (1509). Praeterea, occasione ex Ambasianis, Briconneto et aliis sumpta, multa, pro eis et pro religiosis quibus praeerant, in lucem emisit : scilicet pro Cluniacensibus *Opera Hugonis a S. Victore* (1506), librumque Guillelmi Parisiensis *De claustro animae* (1507), edidit, et pro Lirinensibus *Caesarii Arelatensis Sermones* (1511), consilio G. Parvi, Fratris Praedicatoris, et Grimaldi episcopi Grassensis collegit : his addenda est *Vita B. V. Coletae* quam e lingua belgica in latinam pro ejusdem filiabus transtulit (1510). Hi libri tantam ipsi meruere famam, ut Bovillus eidem opus *De mathematica rosa* obtulerit (1510), ut Wim-

1. Rhenani ep. ad Wimphelingium, 8 Kal. octob. 1506.

phelingius senex, per Beatum Rhenanum[1], corrigendum ei obtulerit, anno 1506, suum de *Integritate* tractatum, et ab eo per Kirher receperit imprimendum, anno 1512, opus jam editum et Guillelmo Parvo dedicatum, cui titulus *Dogma Moralium Philosophorum*. Pro suis etiam discipulis duos composuit libros, pro Francisco quidem, qui secutus est arma, tractatum *De vera nobilitate* (1512), et pro Godefrido, quem suus avunculus Cluniacensi monasterio intendebat praeficere, tractatum *De laude vitae monasticae* (1512). Godefrido etiam comes adfuit, quum Cluniacum petiit, ibique cum eo ab ineunte marte 1512 ad exeuntem septembrem permansit. Superest etiam Codex quidam, in quo a 24ª martis ad 16ªm junii inseruit quidquid, hoc in temporis intervallo, vel composuit, vel ex diversis monasterii libris transcripsit, scilicet, vel conciones quas coram monachis habuit, vel alias diversorum auctorum in laudem Carmelitarum, Cluniacensium orationes, etc., vel etiam *S. Ludovici Vitam* a Gaufrido Belliloci scriptam (quam postea sed abbreviatam in vulgus emisit), vel tandem Philippi Bourgoing, tunc Cluniacensis prioris, in ecclesia S. Martini de Campis inscribendum Epitaphium. Codicis istius partes indicantur in principio hujus operis. Rhenanus ipse, in Alsatiam reversus, tum duos *Gregorii Nysseni tractatus* cum laudatoria epistola, tum editionem *Marsilii Ficini* corrigendam et annotandam, Clichtoveo ut magistro obtulit (15ª maii 1508). Rhenanus iste tantam Clichtovei opinionem conceperat, ut, 31ª decembris 1507, haec de ipso scribebat : « Magno Dei Optimi Maximi munere fieri arbitror, ut complusculi hac tempestate ubique fere nationum sapientiam ac pietatem cum eloquentia conjungant : quod apud Italos... Jo. Franciscus Picus, Baptista Mantuanus, Zenobius Acciolus, apud Gallos, Jacobus Faber Stapulensis praeceptor meus, Judocus Clichtoveus, Bovillus et Fortunatus, hoc aevi faciunt[2]. »

1. Rhenanus (Horawitz, 27 aug. 1531) enumerat Hummelbergii magistros in graeca lingua, Hermonymum Spartiaten, Tissardum, Aleandrum. « In primis (eum diligebat) J. F. Stapulensis, qui tum propter emergentia studia meliora quibus pro virili succurebat, tantum non Deus quispiam videbatur, Jodocus Clichtoveus theologus, Badius Ascensius, Fortunatus. »

2. Horawitz, op. cit., p. 12-16.

CAPUT SEPTIMUM.

CLICHTOVEUS, DOCTOR REGENS IN COLLEGIO CARDINALIS-MONACHI, FABRI CAUSAM EXEMPLAQUE SUSCIPIT.

(1513-1515)

Perfecta Ambasianorum educatione, Clichtoveus, priusquam Lud. Guillardi, Tornacensis episcopi, incipiente anno 1515, praeceptor fieret, se rursus totum tradidit, tum academicis lectionibus, tum operibus, sub disciplina Fabri, ad usum scolarum edendis.

Et quidem, si Budinzki credatur, apud scolares collegii Cardinalis-Monachi disputationes egit, quarum quaedam ipsi Car. Frenandi gratulationes merita est[1]. In hoc collegio tunc circa Fabrum, Briconnetum, ipsumque Clichtoveum, sub Theobaldo Parvo rectore, congregatus est coetus quidam, ut aiebat noster, Theologorum, ex quo prodiere qui Lutheranam haeresim in Gallia primi redolere, inter quos Gerardus Rufus (Gerard Roussel), Guill. Farellus (Farel), Vatablus (Vatable) et Hieron. Clichtoveus nominandi sunt. Farellus, ex civitate Gratianopoli oriundus, ac ingenio strenuus, certus Reformationis sectator erat futurus. Rufus vero, ex natione Picardorum, non mediocres de sua orthodoxia, etiam quum fieret Oleronensis episcopus, suspiciones injecturus erat. Vatablus tandem, totus in litteris hebraeis versatus, nunquam catholici famam amisit: nec ipse Hieronymus etsi novitatum sat amator fuit. Isti cum Bovillo et Fortunato, Briconneti, Clichtovei, maximèque Fabri, disciplinam sunt amplexati.

Faber autem, omnium doctor et magister, veterem sui ingenii ad mysticos sensus propensionem, itinere quodam nuperrime inter Germanos facto[2], non parum firmaverat,

1. Clichtoveus respondit (6 martis 1514) Frenando, recusando Magistri nomen, ipsumque ad Frenandum remittendo quia ab eo linguam latinam didicerat (*Journal de Verdun*, 1765, 449). Olim servabatur in Bibl. S^i Vincentii Cenomanensis Codex epistolarum Frenandi, quem reperire non potuimus.

2. Anno 1510, Faber Germaniam petiit, Moguntium et Coloniam in qua visitavit Fratres Vitae communis, pertransiit, et inde librum Bernonis

jamque solummodo fere Sacras Scripturas, priscorum scripta Patrum, visionariorum somnia, contemplationesque piorum versabat, et, post *Commentaria* in Epistolas divi Pauli, *librum Trium virorum* et *Nicolai Cusani opera* inedita, quae retulerat ex Germania, typis mandabat. *Martyrologii* quoque Romani novam parabat editionem.

Incipiebant autem, hoc eodem tempore, quae de Luthero divulgabantur, Gallos omnes, sive theologos, sive litteratos, commovere, ita ut, quidquid ex Germania prodire vel cum Germanis consentire videbatur, aut odio aut amore, prout cujusque sententia erat, dignum habebatur. Hinc, circa Fabri, Briconneti, imo et Clichtovei personas opinionesque, gravis mox orta est controversia, et de ipsis alii aliter senserunt. Faber textum Aristotelis primitivum, rejecto quem legere solebant scolastici, restituebat, mysticos auctores, Patres antiquos, Scripturamque Sacram. Theologis, Doctoribusque praeferebat, quosdam epistolarum divi Pauli versiculos nova donabat interpretatione; haec et alia Sorbonicos Navarricosque et caeteros antiquae traditionis sectatores offendebant, humaniorum vero litterarum amatores multum delectabant. Hoc etiam inter Germanos iter, in quo Faber a multis honori fuerat habitus, et Reuchlinio contra Theologos Colonienses applauserat, et multos collegerat libros, causa erat cur horum admirationem, illorum vero suspicionem movebat. Contra ipsum animosius egerunt Theologi necnon et Monachi, quibus addendus est Erasmus, qui Fabrum, de quibusdam Sacrae Scripturae commentariis, odiose animadvertit. Pro ipso autem pugnabant omnes litterarum amici, inter quos Budaeus, Ruzaeus, Stephanus Poncherius, G. Parvus, Ambasianorumque familia, quorum plerique Erasmi contra Fabrum injurias aegre tulerunt. Imo, quidam Italus, Marcus Vigerius cardinalis, pro Fabro scripsit *Apologiam*.

Nemo tamen sic Fabri partibus fuit addictus, ut Clichtoveus noster, quem Hieronymus Papiensis, Magistro in gloria aequalem iisdemque operibus intentum, effingit[1].

De officio missae. Librum trium virorum... et opera *Nicolai Cusae* asportavit.

1. In *Duello*, scribens Bovillo sic loquitur H. Papiensis : « Quis referat gloriam Clichtovei quae resultat in Fabro, dum ipse vigilias omnes conceptionesque Fabri stylo elegantissimo reponit in scriptis, ut illi in studiis omnibus prudentissimus sit Achates. Qui Fabrum diligit ingratissimus sit, si non amet Clichtoveum. Hunc cum ipse non viderim (apud Fabrum) vehementer tamen diligo, cum ex epistola tua, quae ipsius laudes plurimum commendat,

Ut patet ex ejus Codice manuscripto, Reuchlinii Theologorumque Coloniensium litem attente prosequebatur, Apologiam quoque Commentariorum Fabri in Epistolis Pauli, Marci Vigerii ad instar, meditabatur, dissertationemque tandem qua Vulgatae correctionem probaret esse licitam redigebat. Haec quidem inedita permansere : sed ut Theologorum coetui satisfaceret, primo *Commentaria in libros Morales Aristotelis* perfecit, dein *Epistolas Apostolorum* (jam editas) et *Apostolicorum virorum* ineditas quae sequerentur Fabri *Commentaria in Epistolas Pauli*, evulgavit: *Cyrilli* tandem *Alexandrini* diversa edidit opera. Istius *Commentaria in Joannem*, suppletis ex seipso deficientibus quatuor libris, juxta Codicem a Dionysio Ambasiano transmissum, emisit. Item ejusdem (seu potius Origenis) *Commentaria in Leviticum*, ex Codice Bibliothecae Corbeiensis a Guillelmo Parvo communicato, publica fecit : ejusdem iterum *Thesaurum contra Arianos* G. Briconneto (4 april. 1514) dedicavit : *Dionysii quoque Areopagitae* secundam editionem curavit, librum etiam *De mystica numerorum significatione* (16 decembris 1513) composuit.

Quid plura! His addenda sunt ejus opuscula, tum de *Immaculata Conceptione* (29 nov. 1513) contra Dominicanum Vincentium a Castro-Novo[1], tum de *Compassione et Assumptione* ejusdem B. M. Virginis : addendi quoque *Sermones* quos in diversis collegiis vel apud S. Germanum de Pratis, vel in Synodo Parisiensi pronunciatos, in Codice manuali tunc inseruit, et cum caeteris edi postea permisit : addendae *responsiones* quas Georgio Civi et Eleutherio Audaci de libello quodam dedit[2]. Addenda etiam praefatio quam, petente Klein Lugdunensi librario, *Sermonibus S. Bernardi* praefecit. Ergo, cum tot tantaque fecerit, non est mirum si curam revisendi tractatum *De Triplici statu viatoris* Claudii Seyssel, episcopi Massiliensis, a Guil. Parvo (8 nov. 1514) acceperit, nec si Bovillus ipsi rursus tanquam suo praeceptori quamdam de *Invasionibus Barbarorum* epistolam (26 aug. 1514) dedicaverit, nec tandem si Georgius Steenstrate Iprensis « ad doctissimum Sacrae paginae

tum etiam ex editionibus suis in *Paraphrases* Fabri ad Aristotelem enucleandum ». Asti, 15 Kal. maii 1515.

1. Bandellus Vincentius de Castro Novo, natus Castelnuovo († 1506), quem Frenandus jam refutaverat.

2. De Eleutherio Audaci, vide Launoium. *Opp.* II, 386.

professorem, Magistrum Judocum Clichtoveum Neoportuensem suumque conterraneum, carmen elegum » miserit[1].

CAPUT OCTAVUM.

CLICHTOVEUS LUD. GUILLARDI, TORNACENSIS EPISCOPI, FIT PRAECEPTOR. GOZTHONI DE ZELESTII, JAURII EPISCOPO, DEDICAT ELUCIDATORIUM, ET AD AUDIENDAS CONFESSIONES CAROLI V[1] ACCERSITUR.

(1515-1517)

Incipiente anno 1515, Clichtoveus, quem Briconneti Ambasianorumque amicitia fecerat celebrem, a Ludovico Guillardo, episcopo Tornacensi, ut praeceptoris officio fungeretur, accersitus est. Ortus ex familia saeculo xv° a Carolo VIII° ad nobilitatem evecta[2], multos ex suis, tum in aula regia consiliarios, tum apud reges et Pontifices nuntios, numerabat. Ipse, Tornacensis designatus episcopus anno 1513, suam civitatem ingredi prohibitus fuerat ab Anglis, qui eidem civitati nuper captae cardinalem Volsey episcopum praefecerant. Donec feliciora redirent tempora, statuerat Guillardus otia conterere in studiis sub praeceptore Clichtoveo, apud Navarram, in qua ab anno 1512 Lud. Lassereus, Clichtovei specialis amicus, post Petrum a Valle provisoris munus acceperat. Exordium tunc sumpsit illa Guillardum inter et Clichtoveum societas quae usque ad mortem istius est continuata[3].

Primo quidem, neglectis aliquantisper de Scriptura libris, ad edendos de artibus tractatus se dedit Clichtoveus[4]. Faber ipse, sive propter aegritudinem quâ tunc laborabat, sive

1. Blasius, *Arithmetices practicae* liber. Paris., Th. Kees, 1513. R. D. Lacatte, presb. S. Sulp., in Seminario Majori Augustodunensi professor, hoc carmen mihi transmisit.

2. De familia Guillardi, cf. *Biog. Didot:* Charles de Guillard, et praesertim: Alphonse Pommier, *Chroniques de Souligné sous Vallon et Flacé*, 125-247 et 431-578.

3. Plures et ipse Le Clerc dixerunt Clichtoveum fuisse Guillardi praeceptorem anno 1513. At ipse Clichtoveus in *De laudibus trium virorum* (1533) se dicit, a duodeviginti annis, de ejus familia, id est a 1515.

4. Parlamentum (5 janv. 1515), edixit ne jocis et repraesentationibus abuterentur scolares in collegiis, et evocavit Hier. Clichtoveum, et Robertum Sucur, regentes Cardinalis-Monachi (Jourdain, *Chartae ad Un.*, p. 323).

propter suspiciones in quibus jam inciderat, nihil fere ex mysticis operibus, nisi *Raymundi Lullii opera*, petente quidem Alphonso Aragoniae, Caesaraugustanae civitatis episcopo, et auxiliante Bovillo, et *Agones Martyrum Gestaque Confessorum* pro Januario et Februario edidit, sed maxime vertendis aristotelicis operibus vulgandisque incubuit. Roberto quidem Fortunato, collegii Plessaei facto provisori, *Metaphysicam Aristotelis* a Bessarione traductam et a Pico de Mirandula acceptam, 14ª septembris 1515, dedicavit: tres item versiones *X librorum Moralium* Aristotelis Joanni Relliaco, Andegavensi episcopo, Germano Ganayo, Belvacensi decano, et Budaeo obtulit (10 aprilis 1516): *Geometriam* tandem *Euclidis*, quam anno 1514, cum G. Briconnetum, Narbonnensem archiepiscopum, fere morientem visitabat, jam editurus erat, perfecte complevit; expletam quoque *Physiologiam* Aristotelis, anno fere 1515, Vatablo terminandam commisit, a quo, cum redux esset Avenione anno 1518, in lucem fuit emissa.

Fabro etiam jubente, Clichtoveus commentariis *Introductiones Fabri in libros Politicos Aristotelis*, et *Introductorium astronomicon* adornavit, quae multis exquisitisque, sive versiculis, sive sententiis sparsit. Tunc temporis, ut patet ex Codice Mazarineo, tum librum *De Vita philosophorum*, tum poetas Christianos, *Aratorem*, *Juvencum*, *Probam Falconiam*, ab Aldo Manutio nuper typis mandatos, attente legit. Praeterea, Guillardi patroni memor, *De laude S. Ludovici et S. Coeciliae*, ope codicum Cluniacensium, composuit opusculum, quod, 10ª januarii 1517, Ludovico Guillardo gratiose obtulit.

At praecipuum ipsius opus fuit *Elucidatorium*, seu explicatio quaedam historica, philologica, prosodica, litteralis et spiritualis, hymnorum, canticorum, prosarum, benedictionum Liturgiae sacrae. Hoc rescripsit, post longas haesitationes, ut annueret precibus Gozthonis de Zelesth, episcopi Jauriaci in Pannonia, quem moverant diversitates et adulterationes publicarum precum, quas inter peregrinandum innumeras animadverterat. Quod *Elucidatorium* utique Clichtoveo magno fuit honori : anno enim sequenti, Basileae per Capitonem et postea saepe saepius fuit editum : sed etiam ejusdem occasione magnas passus est controversias. Duos enim versiculos prosae *Exultet*: O felix culpa... O certe necessarium... declaravit supprimendos. Haec sup-

pressio plurimorum animos, jam Clichtoveum ob amicitiam Fabri suspicantium, ita statim commovit, ut pro seipso *Apologiam* 5ª novembris in Codice suo manuali jam composuerit. Hanc tamen non nisi duos post annos evulgavit, scilicet, quum graves de Fabro controversiae ortae fuerunt, et postquam ab aula Caroli Vⁱ imperatoris fuit regressus.

Hoc etenim anno 1517, non multum abfuit quin Clichtoveus, qui nuper Morinensis canonicus, et Albigensis Poenitentiarius esse noluerat, ad audiendas Caroli V confessiones eligeretur : imo ad hoc tentandum officium fuit evocatus ab imperatore. At post tres menses in aula consumptos rediit, ipsique Briselotius, Doctor theologus Parisiensis, primo Carmelita, dein Benedictinus, tandem Cameracensis suffraganeus, fuit praelatus: quod Erasmus lepidius quam verius explicat in epistola ad Rhenanum, 23ª augusti 1517: « Hic (Briselotius) praelatus fuit, inquit, Jodoco Clithoveo, qui ad hoc munus fuerat accersitus, licet ipse ignarus cur accerseretur. Caeterum aulicis non placuit, quod raris erat capillis multaque macie : dati tamen Philippaei centum ut rediret Lutetiam. »[1] Ast ipse Clichtoveus in Codice Mazarineo *Apologiam* quamdam, 2ª augusti 1517, ad suos direxit amicos, qua probavit se legitima ratione dignitatem oblatam recusasse. Reversus ergo ad collegium Navarrae, ibi, 7ª junii 1517, cameram locavit ad vitam, et pro reparatione domus 60ª ducatos solvit; item, 1ª februarii 1518, sepulturam ante parvum altare ligneum navis a parte ostii designavit, pro pavimento reficiendo centum libras donavit, magnamque Missam cum De profundis et Oratione post Nativitatem Pascha et Pentecosten instituit : tunc se semper in Navarra permansurum opinabatur[2].

1. Horawitz, p. 97. Rhenanus scribebat (8 julii 1517) Erasmo *Elucidatorium* imprimi a Frobenio. — V. Durand de Laur, I, 184. — Praecedens Caroli V confessarius erat episcopus Osmensis, 1525. — Clichtoveus noluit a Parisiis longe vivere.

2. Chevillier, 413, Launoy, 676. Vide ad annum 1521.

CAPUT NONUM.

CLICHTOVEUS SUIS RESPONDET AMICIS ET CUM FABRO TRIUM MARIARUM MAGDALENARUM SUSTINET CONTROVERSIAM.

(1517-1519)

Nec tamen otia sine laboribus consumpsit. Adjuvante Bovillo *Magna* inchoavit *Moralia* quae anno 1520 sunt edita, Hugonisque a S. Victore *Allegorias in utrumque Testamentum* ab Henrico Stephano imprimendas curavit.

Sed praesertim amicis ipsum de variis casibus consulentibus, multas reddidit epistolas, quae adhuc in Codice Mazarineo (912) leguntur. Hae quidem epistolae, circa quae versentur, in altera hujus operis parte, latius investigabimus. Sufficiat hic eos indicare qui ad eum rescripserunt, vel ad quos ipse responsa dedit. Nominandi sunt inter Gallos, Guillelmus Vassorius, Cluniacensis monachus, qui ad ipsum *Petri Venerabilis hymnos* transmisit, Nicolaus Chapusius, qui ab eo, 22ª januarii 1518, *S. Vincentii Vitam* ab Augustino scriptam petiit, eique 10ª februarii duos Juvenalis versus commentatus est: quibus addendus est abbas S. Samsonis Aurelianensis, cui de auctoritate obligatoria superiorum et de debita obedientia monachorum consulenti, Clichtoveus solutionem reddidit ab octo Doctoribus approbatam: citandus item Robertus Fortunatus, cui Clichtoveus misit epistolam, qua jus episcopos eligendi capitulis aut ecclesiis jure divino competere probabat[1].

Nominandi sunt etiam inter Belgas Georgius Civis, Judocus Caulier, et Joannes de Hondt.

A primo, cui jam de Indulgentiis, anno 1513, responderat, opus recepit, anno 1516, Dominicani cujusdam negantis Mariam fuisse sub cruce passam: contra quem scripsit statim in suo Diario Codice refutationem quam suo libro de *Compassione Virginis* anno 1519 inseruit.

Judocus Caulier Gandavensis, quem laudant Clichtoveus, Echard et Quetif, erat Dominicanus, ordinariusque praedicator Curtraci, vir pius, eloquens, controversiarumque sive inter Lovanienses sive inter Clericos motarum, valde amator. Singulis fere mensibus casus novos proponebat Clichtoveo, qui proprias aut Doctorum solutiones ipsi remittebat. Habe-

mus adhuc istius Caulier litteras Clichtoveique responsiones, quae, ad 20am aprilis 1517, ad 29am julii, ad 3am octobris, ad januarium 1518, ad 12am ejusdem, ad 22am et 27am martis, ad 23am et 16am maii referuntur.

Joannes de Hondt, canonicus erat Curtracensis et apud Jacobum Thielt (Tiletanum), Ludovici Guillardi vicarium generalem, residebat. Ipse, inchoante novembris mense (1517), Clichtoveum de quodam libro et de quaestione in ipso tractata consuluit, cui noster longam, 10a novembris, remisit epistolam.

Nec ista sufficiebant : in eodem manuali Codice Clichtoveus redegit, 28a octobris 1517, quamdam Laurentii Vallae et praesertim Erasmi refutationem de *Authenticitate operum Dionysio Areopagitae attributorum*, quam postea in suo *Antiluthero* (1523), inseruit. Ibidem denique, 31a decembris 1517, aliquod transcripsit ex *Mariali* Bernardini de Busto fragmentum, quo Mariam, dum vivebat, ecclesiastica recepisse sacramenta, demonstrabatur.

Haec Clichtoveus in Codice Mazarineo usque ad 16 junii diem 1518 scribebat ; sed, dum talibus indulgebat, acerba quaedam exorta est controversia, de tribus opinionibus a Fabro (1517 et 1518) evulgatis, scilicet : *de tribus Magdalenis, de Triduo Christi*, de *triplici connubio B. Annae*.

Interrogatus enim a domina Ludovica de Sabaudia et a quibusdam optimatibus quid sentiret de Maria Magdalena, sive Lazari sorore, sive Peccatrice, sive Christi in Galileam pedissequa, respondit Faber, suo quidem judicio, triplicem esse Mariam Magdalenam distinctam : quod contrarium erat sententiae fere unanimi Ecclesiae, quae, post Gregorium, unicam esse Mariam Magdalenam credidit. Periculi tamen haud immemor, protestatus est Faber, se Patres et Ecclesiam in quaestionibus fidei venerari et prosequi, hanc autem quaestionem esse liberam, nec tamen ab ipso definitam. Quo non obstante, a multis praesertim monachis et praedicantibus tanquam haereticus et novator impugnatus est.

Pro ipso tamen pugnavere plures Theologi, inter quos Major et Clichtoveus. Hic enim jam asseruerat in *Elucidatorio* unicam esse Magdalenam ; attamen, Fabri opinionem amplexus est, et eam in epistola alteri editioni operis *De triplici et unica Magdalena* praemissa, 1518, publice professus est : « Ingenue etiam fateor, aiebat, rem plerisque novam visam fuisse, praesertim hac nostra aetate, qua audiri

solita placent, insolita autem etsi vera haud facile admittuntur. Adde aliquos esse, qui non nisi suo credunt consilio, et quod semel asseruerunt, volunt oraculo solidius haberi. Alii autem auctoritatula una aut unius scribentis dicto, ut equus capistro, retinentur, et caeteros aspernantur, qui ea de re aut dixerunt aut scripserunt : omnemque aliam spernunt rationis indaginem, et hi admodum probandi non sunt ; quibus si *Disceptatio de Magdalena* non probatur, haud impendio curae fuerit. Et ut de meipso loquar, aliquando ejus sententiae fui : has tres unicam fuisse Magdalenam. Verum cum libellum evolvi et ejus gratia antiquiores scriptores lustravi, factus meipso diligentior, reperi tam novum et paene paradoxum ante tempora Gregorii fuisse, si unica assereretur, quam nunc cum tres asseruntur et non una sola. »

Contra Fabrum et Clichtoveum prior scripsit Marcus Grandivallis, S. Victoris monachus, rectorque Athis. Ille vix in festo B. Magdalenae (22ª julii) Fabri opus legerat et jam 23ª augusti sequentis : *Ecclesiae catholicae non tres Magdalenas sed unicam colentis Apologiam seu Defensorium* edidit : in quo opere, etsi Philippo Montmorenciaco et St. Poncherio dedicato, multa exaggerata, in Fabrum injuriosa collegit. Clichtoveo vix parcebat : « Quanquam Clichtoveus ille Neoportuensis, aiebat, vir insignis admodum et litteratura et probitate, astipulandum dignum duxisse videtur huic assertioni satis et nimium audaculae, dum collaudat atque probat opusculum de ea triplata, scribens scilicet hanc opinionem de unica Magdalena olim fuisse tam novam quam modo nova videtur assertio de triplici. »

Ad dirimendam hanc controversiam quae plus aequo animos exagitabat, Steph. Poncherius, tunc in Anglia legatus, Johanni Fisher, episcopo Roffensi et Universitatis Cambridgensis Cancellario, tradidit opera tum Fabri tum Marci Grandivallis, eumque pluries exhortatus est ad suam de re sententiam scripto publico manifestandam. Qui diutius haesit, tum quia primo res non adeo gravis ei visa fuerat, tum propter optimam Stapulensis famam ; sed pugnae tandem se commisit, et eodem anno tria opuscula quorum duo contra Fabrum, unum vero contra Clichtoveum emisit : quae quidem adeo cruda erant, ut Erasmus et praefatiunculae suae scriptores, ipsi hunc rigorem vitio vertebant. Clichtoveo non pepercit : « Testantur sane, illa, scribebat, (Clichtovei opera), amicum animum, quo in Fabrum Jodocus afficitur, qui

quantis potest fulcimentis illius opinionem fulcire molitur. Verum quum pro ea stabilienda ad haec tam frivola atque inania confugiat, indicium est, validiora deesse quibus eam comprobet. Ob quod certe, mea sententia, multo fuisset optabilius Fabro, si ne verbum quidem Jodocus dixisset, quam adeo frigide jejuneque causam egisset suam. »

Istud opus 23ª februarii 1519 fuit emissum. Aprili mense, a Clichtoveo Tornacum reverso prolata est: *Disceptationis de Magdalena defensio Apologiae Marci Grandivallis illam improbare nitentis ex adverso respondens;* qua protestabatur iste se nolle vel quaestionem hanc etsi liberam dirimere vel liturgiam mutare : sed tantum B. Magdalenae, Peccatrici diutius habitae, suum honorem restituere. Suggillabat insuper Marcum Grandivallem, quia asseruerat Fabrum ponere tres Magdalenas, cum revera duas Magdalenas et tres Marias affirmabat, quod multa ipsius argumenta praeterierat, quod Fabrum Magistrum in Artibus et non in Theologia incompetentem dixerat: « Quod si Faber, aiebat, a Deo munus illud intelligentiae accepit, ut posteaquam disciplinas et philosophicas et morales et mathematicas jam collapsas primus (nullius invidia dictum sit) in hoc nostro studio instauravit, et pro virili undequaque hactenus juvit, demum sacras litteras satis feliciter tradat, quid apologeticus ille objectat quod comportat quae non seminavit? »

Eodem fere tempore Faber novam seu tertiam editionem suae *De Magdalena disceptationis* tradidit, et deinde (aug. 1519) *De tribus et unica Magdalena disceptationem secundam*, in qua Clichtovei emendationes sibi proprias faciebat.

Itaque J. Fisher rursus adversariis respondit. Contra Clichtoveum ab ipso directa fuit (ante augustum) : *Eversio nunitionis quam Jodocus Clichtoveus erigere moliebatur adversus unicam Magdalenam.* Contra Fabrum ab eodem prodiit (3ª septembris) : *Johannis Fisheri Roffensis episcopi, confutatio secundae disceptationis J. F. Stapulensis de Magdalena.* Ab ipso etiam Marco Grandivalli scriptum est : *Apologiae seu defensorii ecclesiae catholicae, non tres sive duas Magdalenas sed unicam celebrantis et colentis, tutamentum et anchora.* — Iis in operibus non omnia caritatis plena erant. Praefatio *Eversionis* sic exordiebatur : « Vereor ne fluctuare nonnullorum animos effecerint ea quae J. Faber et J. Clichtoveus Neoportuensis adversus unicam Magdalenam pluribus disseruerunt. » Irridebat deinde emendatio-

nibus quibus suam opinionem Faber alteram fecerat : « Verum, cum jam per Jodocum intelligo illum non tres Magdalenas sed tres diversas feminas opinatum fuisse, quarum postremae duae solae Magdalenae vocarentur, nobis tanto minus futurus est labor : nam contra duas facilius erit militare quam adversus tres. »

Roffensi episcopo victoriam assignabat Erasmus, resque finita videbatur, quum Beda liti se immiscuit. Etenim apud Badium fuit vulgata (25ª nov.) : *Scholastica declaratio sententiae et ritus ecclesiæ de unica Magdalena, per Natalem Bedam studii Parrhisiensis, Artium et Theologiae Magistrum, contra Magistrorum Jac. Fabri et Judoci Clichtovei contheologi scripta, per additionis modum ad ea quae prius per alios contra eosdem fuere deprompta.* In tertia parte hujus opusculi, Beda Clichtoveum durius aggrediebatur. « Stupenda nimirum est in eo, aiebat, de Christo et ejus factis scribendo audacia ». Post diversas exprobrationes, illum Fabrumque severe monebat, ne fidei suae suspicionis notam ingererent. Jam procurabat condemnationem per Facultatem Theologiae, opinionis tum Fabri tum Clichteovei. Facultas, 9ª novembris 1521 et rursus 1ª decembris, in celebri judicio, quod d'Argentré refert, proclamavit unicam esse Mariam Magdalenam et non plures Magdalenas[1]. Nec ista contentus sententia, Beda Fabrum tanquam heresi suspectum detulit ad Parlamentum. Rex autem, re ad se convocata, a Guillelmo Parvo, quid de hac controversia sentiret, postulavit ; qui cum ipsam esse non de fide sed de opinione libera respondisset, prohibuit rex ne Faber a Parlamento amplius inquietaretur.

Bedae tamen effectu non caruit impugnatio : siquidem causa fuit cur Clichtoveus, formidans ne Sorbonicorum et orthodoxorum favores amitteret, catholicamque fidem offenderet, Fabro opinionibusque Fabri, eo magis quod Lutheranis dogmatibus tunc grassantibus consentire viderentur, nuntium misit, et, relictis prioribus, novas vias ingressus est.

1. At Doctores, ut animadvertit d'Argentré, noluerunt condemnare opinionem tres esse Marias asserentem quarum una esset Magdalena : et quidem hanc opinionem de tribus Mariis plures etiam Sorbonici Doctores et quidem non mediocres admisere, verbi gratia, Genebrardus, Retzius et ipse Bossuetius.

CAPUT DECIMUM.

DE TRIPLICI CONNUBIO S. ANNAE ET DE DUOBUS VERSICULIS IN ELUCIDATORIO SUPPRESSIS.

(1517-1519)

Ortae sunt iisdem annis quaedam non adeo minus celebres controversiae, scilicet de *Connubiis S. Annæ* et de versiculis a Clichtoveo in suo *Elucidatorio* suppressis.

De Beata Anna Faber, in opere jam citato, nihil nisi quod nunc tenet Ecclesia, proposuerat. Assuererat Annam non habuisse praeter Joachim duos maritos, nec praeter Mariam duas filias, ut tunc vulgo credebatur, sed tantum ex unico marito unicam Mariam peperisse. Quae opinio, etsi jam tunc erat probabilior, a Theologis Fabro ejusque scientiae invidentibus, statim, ut ejusdem de triplici Magdalena sententia, quasi haeresim redolens odiose fuit impugnata. Contra illam a Beda rursus emissa est : *Apologia pro filiabus et nepotibus Annae* (1519). Germani praesertim Bedam sunt imitati, et quidam ex eis apologiam quoque connubiorum B. Annae condidit, quae ad Fabrum transmissa fuit. Monachi, urbis Metz vulgo dictae, inter quos D. Delphinus, Franciscanae Observantiae frater, Nicolaus Orici, Cordigera, Claudius Salini, Fratrum Minorum prior et Doctor in Theologia, contra Fabrum in cathedris certatim declamaverunt. Quorum clamoribus motus, Agrippa, Clichtovei cognatus, postquam ex Fabro et opus ipsius Fabri, et aliud apud Germanos impressum receperat, scripsit, ad vindicandam B. Annam ejusque defensores : *De Beatissimae Annae Monogamia ac unico puerperio, propositiones abbreviatas et articulatas juxta disceptationem Jacobi Fabri Stapulensis, in libro de tribus uno.* Iis quidem *Propositionibus* Claudius Salini respondit, tum in concionibus publicis, tum in quodam libro, in quo *Conclusiones* adversas singulis *Propositionibus* Agrippae opponebat. Agrippa statim responsionem dedit, sed quam non nisi post 15^{im} annos evulgavit. Parisiis fervebat eadem controversia, et anno 1523 Petrus Sutor (Couturier) opus de *Triplici Connubio B. Annae,* composuit. Clichtoveus nullas

fere partes hac in lite suscepit. Connubio quidem triplici olim adhaeserat : anno 1510 narraverat S. Coletae visam fuisse B. Annam cum tribus suis filiabus : asseruerat etiam in *Elucidatorio* matrem filiorum Zebedaei germanam esse B. Mariae Virginis sororem, et consequenter Jacobum et Joannem esse germanos Christi consanguineos[1]. Attamen opinionem Fabri novam, in sua ad Fr. Molinoeum epistola, ratam habuit : « Num culpare poterunt, aiebat, quod tam pie quam vere adjunctum est ab eodem auctore (Fabro) de Anna et filiabus Annae? ».

Caeterum et Clichtoveus, tunc pro sua parte a pluribus vehementer impetebatur, ratione scilicet istorum versiculorum quos in prosa *Exultet* suppresserat : « Quod mihi viderentur, aiebat, nescio quid absurdum et auditu horrendum sonare, ob elogium laudis et praeconii ipsi peccato Adae praeter ejus conditionem ascriptum ». Jam ab anno 1516, in suo Codice Diario, quamdam scripserat *Apologiam* ineditam : « Nempe quoniam ii qui contendunt illam improbationem a nobis factam non debuisse fieri, imo perperam et temere tentatam, non contentiosis clamoribus id arguunt sed rationibus, nitunturque suam sententiam roborare firmitate rationum, ex S. Scriptura aut naturali lumine mentis sumptarum, digni profecto sunt qui audiantur et quibus cum benignitate adhibeatur responsio, quemadmodum et ipsi placide quod sentiunt objiciunt ».

Ast rursus huic attentos omissioni reddidit animos controversia de Magdalenis a Clichtoveo Fabroque mota, et novas sed iracundiores in Clichtoveum impugnationes provocavit. « Accepi, aiebat, nonnullos illis meis verbis esse offensos aegreque tulisse illarum... orationum improbationem, quam tam diuturnus Ecclesiae (ut dicunt) recepit usus : alios vero acerbius temeritatis et arrogantiae me insimulare quod duas illas propositiones, a B° Gregorio, ut ferunt, compositas et in totum Ecclesiae ritum jam diutius assumptas, refutare damnareque tentarim ».

Speraverat quidem animos esse pacandos si coram pluribus Theologis congregatis explicaret suam sententiam : « Coram aliquot gravissimis et doctrina apprime insignibus viris ad hoc arcessitis negotium, declaravi sensum dictionum

1. In 2ª parte *Elucidatorii*, exponendo Prosam Nativitatis : in *Commentario* super 20 cap. 4 lib. Damasceni.

propositarum in quo ipsas confutaveram, eum scilicet quem in prima et consueta sua significatione constituunt numeri articulo 2° abunde explicatum. Quoniam tamen illas, nulla adhibita distinctione, absolute et simpliciter illic sum visus improbare nimiaque verborum vehementia.., in illis improbandis uti, ultro obtuli me, loco annotationis illius quae plerosque, ut accepi, offenderat, in proxima ejusdem libri editione, alteram positurum annotationem, in qua contestarer me illas propositiones prius improbasse in eo tantum sensu qui primo aspectu legentibus et audientibus occurrere solet..., neque mihi tum fuisse animum damnandi easdem orationes in eo sensu quem sancta recipit Ecclesia et probati auctores. Quod et feci » Et congregatio quidem facta est 12 Doctorum 24ª februarii 1519.

Sed frustra : quas dabat Clichtoveus explicationes, quasi retractationes, habitae sunt ; unde *Apologiam* suam publico scripto edere coactus est. « Nam hujusce meae spontaneae oblationis occasione, protinus ea verba de me vulgo jactata sunt, nescio per quos laudum mearum buccinatores, quod in celebri illorum insignium virorum corona atque consessu, cecinerim palinodiam, erratum meum fuerim confessus, et poenitudine ante scriptorum ductus, quae publico deinde testimonio esset edenda in apertum. Neque solum ad praesentes ea ferebatur fama per totam Parisiorum urbem, sed et ad absentes, missis epistolis, eadem divulgabantur, perinde atque infandae cujuspiam haereseos crimen publice abjurassem. Sed numquid ultronea declaratio ante dictorum, retractatio debet merito appellari?... At quoniam de me sparsa et falso divulgata verba non parum vergunt in nominis mei ignominiam... retractationemque notam mihi ingerunt, qui de retractatione ne verbum quidem feci apud spectatissimos illos et eximios viros..., cogor, arreptis armis litterariis, istis de me sparsis rumusculis obviam ire, et hujusce apologeticae disceptationis conscriptione, defensionem causae meae..... ex integro assumere. »

Haec : *de necessitate peccati Adae et felicitate culpae ejusdem apologetica disceptatio,* (1519) duas continebat partes : in priore Clichtoveus asserebat Ecclesiam non intendere culpam Adae esse necessariam et felicem absolute : ac proinde nec se Ecclesiae contradicere, cum in eo sensu quo Ecclesia has orationes rejiceret. Addebat ipsas forsan fuisse interpolatas aut alius auctoris ac S. Gregorii, cum non inveniren-

tur in cunctis codicibus nec in omnibus ecclesiis cantarentur. In altera parte quaerebat num essent capaces sensus dogmati pietatique conformis. Et in praefatiunculis semper protestabatur se disserere, non definire, nec mutare liturgiam velle ; et judicio Ecclesiae se submittebat.

Nec tamen profecit : plures ipsius opinioni adversari non destiterunt, Beda praesertim, qui edidit opus cui titulus : *Restitutio in integrum benedictionis cerei paschalis per duarum ejus particularum damnationem ac subtractionem mutilatae*, apud Badium, 1520. « Videat Judocus (dicebat f. 3) ne animum ad scribendum appulerit, suorum persuasus vento sectatorum : et istorum, qui universo suo non congruentes, certis quibusdam ita sunt addicti Magistris, ut eorum scripta (qualiacumque generent inde scandala) inique ferant discuti..... Nimirum ad 24am februarii diem mihi adhuc in recognitione praefati de Annae filiabus opusculi (quod sub Ascensiano praelo tunc teri coeperat) occupato, offert Judoci ipsius scriptum : quod *disceptationem de necessitate peccati Adae et felicitate culpae ejusdem apologeticam* inscripsit..... : illo apprehenso vehementer indolui..... : Judocus, in opere quod *Elucidatorium ecclesiasticum* voluit appellari, ipsam Paschalis Cerei benedictionem suis explanans annotationibus, clausulas praescriptas judicio sine misericordia damnavit. Pro qua re (quod scandala mirum in modum videret) omni tamen cum mansuetudine et fraterna correctione... fuit a suis confratribus admonitus : et post nonnullas confoerentias (auditis doctissimorum Theologorum super hoc sententiis et visis Sanctorum et Doctorum quae eidem humanissime ostensa fuere, clausulas illas probantibus scriptis) erratum agnovit suum, scandalum reparare quantum commode fieri posset, victus auditis et lectis, obtulit, supplicans ne secum duriuscule ageretur. Quod quam benigne annuerint viri illi doctrina et sapientia praeclari, ad id rei a S. Theologiae Facultate commissi ipsi novere : nihil quippè de his in occulto actum extitit... Hinc gratias egit quod secum majori quam speraverat dulcedine actum esset... Dicenda autem triplici partitione secabimus : in quarum prima, utrum licite materiam hanc in se agitaverit Judocus discutietur, in 2a utrum vere, 3a vero, quod etiam Ecclesiae auctoritate semota, hoc est, illas clausulas secundum se et veluti nunquam receptae fuissent considerando, a nullo tamen possent nisi temerarie damni demonstrabit. »

In secunda *Elucidatorii* editione (1521) promissis stabat Clichtoveus, non tantum ostendens hos versiculos a se condemnatos fuisse in sensu quo condemnatione digni erant, sed etiam agnoscens in ipsis orthodoxum haberi sensum, illum scilicet quem ipsis tribuit Ecclesia; ipsos tamen adhuc omittebat, cum deessent in pluribus Codicibus; indignabatur etiam quibusdam qui illum de Codicum mutilatione suspicabantur.

Illa plurimorum in Clichtoveum invidia quibusdam, inter quos Vatel, scandalo fuit: qui in praefatione ad opera Nicolai Clemangis de Clichtoveo scribebat: « In dies horasque parturit, suosque demum partus quovis bonarum litterarum cultori adoptandos palam exponit. Quocum profecto non possum non condolere atque ingemiscere, quod, superioribus annis, plerique hujus aetatis, sola sapientium appellatione gloriabundi, citra culpam, o boni superi, ita vehementer illi incommodarentur, ut igne et flammis dignum extremoque quovis supplicio exitialiter furibundeque nimis judicarent. » Eodem modo dolebat Cheradamus in prefatione *Grammaticae graecae* ad Lud. Guillardum.

Ast istae impugnationes Doctorum, necnon Lutheri condemnationes, Clichtoveum magis ac magis a Fabro novitatibusqueincertis retraxerunt.

CAPUT UNDECIMUM.

CLICHTOVEUS IN BELGIO L. GUILLARDUM SEQUITUR ET CUM IPSO RURSUS AD NAVARRAM REDIT.

(1518-1521)

Dum istae furebant lites, L. Guillardus, jam mense septembri 1517, dioecesim Tornacensem intraverat; sub fine decembris Ordines et Collationes ecclesiasticas Curtraci apud Jacobum Thielt, vicarium generalem, celebraverat. Mox erat, post foedus inter Franciscum I^um^ et Henricum VIII^um^, 1° octobris 1518, sanciendum, civitatem ipsam Tornacensem recuperaturus. Accersivit Clichtoveum qui, finito Codice suo (16^a^ junii 1518), circa mensem septembrem (non enim in festo S. Euphemiae 17^a^ septembris solitum sermonem habuit)

Belgium adiit. Primo quidem, Guillardo paroecias visitanti comes adfuit, ut ipse Faber ad Langrenum S. Bonaventurae custodem scribebat: « Clichtoveus (est) in Belgica cum episcopo Tornacensi qui in visitationibus episcopatus sui ejus utitur opera. Verum his diebus per litteras accepimus eum laborare quartana. Accepit suffragiorum a te missam litteram (6ª oct. 1518). » — Incipiente anno 1519 (1 feb.). Lud. Guillardo qui natus erat 25ª martis, in die Annunciationis, librum offerebat: *De dignitate et excellentia Annuntiationis B. M. Virginis, et De benignitate et gratia Visitationis ejusdem gloriosae Virginis.* Tunc erat Curtraci: affuit certe Guillardo solemniter Tornacum intranti 13ª febr. 1519; et circa hoc tempus S. Jacobi Tornacensis parochus fuit designatus[1]. Tunc, diebus dominicis ac festis, conciones admonitorias pro suo officio ad plebem sibi commissam habuit. Interea, librum jam designatum *De necessitate peccati Adae,* quem ex Parisiis Gozthoni de Zelesth, forsan ante profectum, dedicaverat, apud H. Stephanum evulgari curavit (16 febr. 1519), similiter et suam (apr. 1519) responsionem contra Marcum Grandivallem ad St. Poncherium e Tornaco misit.

Mox etiam rediit Lutetiam Parisiorum ad invigilandum aliorum operum apud Henricum Stephanum editioni, scilicet libris *De vita et moribus Sacerdotum,* quem pro Guillardo episcopo composuit (4ª aug. 1519), *De Regis officio,* quod, petente Gozthone de Zelesth, pro Ludovico Hungariae rege delineavit (30ª aug. 1519). Commentaria item in libros *Morales* Aristotelis cum Gerardo Ruffo (Roussel) perfecit. Hoc fuit ultimum Clichtovei de artibus, dictante Fabro, opus. Deinde in Belgicam provinciam cum Guillardo reversus, in Synodo Tornacensi (17ª apr. 1520) duos sermones habuit. Sed paulo post Parisios rursus repetens, concionem solitam in festo S. Euphemiae apud Sorbonam 17ª septembris pronuntiavit et cum Guillardo pristinam in collegio Navarrae sedem elegit. Episcopus quidem, 1ª augusti die (1520), ait Launoius, dedit altaris tabulam in Belgio affabre factam, pluribus ornatam statuis, quibus quidquid est dominicae passionis exprimitur. Haec tabula quingentis nummis aureis et eo amplius constabat. Anno eodem (1521) Kal. Januarii

1. *Monographie de l'église paroissiale de Saint-Jacques à Tournay,* Lille, 1881: auctor, Dus Cloquet, p. 352, dedit seriem parochorum, et omisit Clichtoveum. Caeterum de ipso, teste Do Maquest custode, in Archivio Tornacensi nulla fere fit mentio.

dedit nummos aureos triginta ut ad eam pingendam et inaurandam insumerentur. Eodem die, Clichtoveus, ait Lassereus, collegii provisor, in suo Diario, consensit ut pecunia quam dederat ad paviendam Ecclesiam in altaris mensa ex ligno Bataviae confecto ubi eminenter quaedam figurae personae vulgo dictae et dominica passio repraesentantur, inauranda collocaretur. Eodem quoque tempore, collegio dedit summam 124 lib. 10 sol. ad reparandam tertiam domus cameram quam ad vitam locaverat : « illam, quotiescumque voluerit, poterit habitare, ait Lassereus ; in absentia autem illius, Magister et provisor dicti collegii poterunt locare dictam cameram » ... sicut de facto locaverunt Mag. Johanni Veillart, presbytero[1]...

In hoc collegio confecit opus *De doctrina moriendi* (2ª martis 1521) pro comite Joanne de Gallinario Monte, quem ope Andreae Westhuseni ipsius praeceptoris Fabrique amici cognoverat. Scripsit adhuc petente Guillardo Breviarium quoddam manuale *Historiae sacrae*, quod ineditum in Codice Bibl. nat., f.l. 525, huc usque permansit.

Ab hoc anno 1520, Clichtoveus omnino a Fabro separatus est. Faber enim ut Sorbonae minas fugeret, Briconnetum cum sociis Rufo, Farello, Vatablo (Roussel, Farel, Vatable), Meldim, exeunte anno 1520, secutus est. Clichtoveus vero apud Navarram cum Guillardo commoratus est, et perterritus tum novis Lutheri condemnationibus, tum etiam judiciis contra Fabrum a Doctoribus proferendis, tum ipsis erga se impugnationibus, societatem cum Parisiensibus Theologis rursus inivit, et Lutheranam doctrinam prosequi coepit.

CAPUT DUODECIMUM.

CLICHTOVEUS SENTENTIAE CONTRA LUTHERUM A SORBONA PROLATAE STRENUE COLLABORAT.

(15ª aprilis 1521)

Jam tunc in toto orbe catholico perstrepebat magna de Luthero controversia : quae caeteras minoris momenti dis-

1. Ex computo Lasserei Navarrae provisoris, 1521, in Launoio.

cussiones, de quibus huc usque egimus, non tantum non exstinguebat, sed potius eo graviores efficiebat, quod Lutheranis novitatibus affines esse videbantur. Condemnatus ab Universitate Coloniensi, anno 1518, a Lovaniensi, anno 1519, a Leone X°, 15ª junii 1520 et 3ª januarii 1521, jamdiu Lutherus judicium efflagitaverat, « istius, ut aiebat, Parisiensium studiorum parentis et ab antiquo semper christianissimae ac in Theologia florentissimae Universitatis. » « Exspectabatur, scribit etiam Erasmus ad cardinalem Campegium, sententia Parisiensis Academiae quae semper in re theologica non aliter principem tenuit locum quam Romana sedes christianae religionis obtinuit principatum[1]. »

Lutherus quidem ad ejus Universitatis sententiam provocaverat, tum anno 1517, coram cardinale Cajetano, tum anno 1519, coram deputatis Georgii, Hessiae ducis: res tandem ad eam solemniter delata est, anno 1520, litteris Friderici, ducis Saxoniae. Statim in tres abiere partes distinctas tum Theologi tum viri litterati. Quorum quidam Luthero prorsus adversabantur, et hi maxime numerabantur inter Doctores Sorbonae, Navarrae, Montis Acuti. Alii haesitabant, sperantes adhuc Lutherum mores et disciplinas et certos excessus reformaturum, quin dogmata, traditiones graves, hierarchiam infringeret ; quam spem fovebant praesertim aulici, viri litterati, rarique Theologi. Alii tandem ita Lutheri novitatibus plaudebant, ut eum etiam in haeresim et schisma ruentem probare et sequi essent parati : qui pauciores tunc temporis adhuc erant in Gallia : « Nam, ut aiebat Glareanus, legentium Lutherana opera, plerique curiositate, pauci sympathia movebantur. » Ex istis tamen plures inveniebantur, sive in collegio Cardinalis-Monachi, sive in coetu discipulorum circa Fabrum congregatorum. Faber ipse de amore Lutheranarum novitatum suspectus erat : nonne, tanquam Lutherus, traditionem spernebat et ad solam Scripturam provocabat? nonne virorum litteratorum potius quam Theologorum amicus erat? nonne Germanos, annis 1510 et 1518, visitaverat, Reuchlinioque contra Colonienses theologos, ut et ipse Lutherus, faverat? Quid plura? Haeresim ipse suique sapiebant, ut in cunctis cathedris repetebant monachi et Theologi, quorum alii Fabrum Antechristum proclamabant, alii eum ut haereticum ad Sorbonam

1. Vide d'Argentré, II (1-11), 1re p.

deferre volebant. Re vera, Stapulensis semper catholicus remansisse videtur : utique se neutraliter semper habuit, nec unquam unum verbum pro catholicis aut pro Luthero publice protulit : utique, sibi semper conformis, quaedam doctrinae puncta secundaria, v. g. de veneratione sanctorum, de traditionibus humanis, sensu largo et vix a Reformatoribus diverso intellexit, sed nunquam dogmata essentialia et ipsam auctoritatem hierarchicam, ut Lutherus, rejecit. Nec quidem quando inter Reformatores Argentorati versatus est, pignus certum Reformationi dedit.

Ast ipsius opinio ex diversa suorum discipulorum agendi ratione investiganda est : porro ex eis alii alias partes sunt secuti. Hi quidem simpliciter haeresim ad modum fere Lutheri amplexati sunt, ut Farellus, Poventius, Caroli, alii vero mediam viam sunt ingressi, ut Gerardus Rufus (Roussel), Michael de Aranda, qui etsi consentire Reformatoribus visi fuerint, catholici tamen episcopi facti sunt. Briconnetus quidem, omnium patronus, cujusdam mysticae reformationis zelo obcaecatus, sententiis temerariis et viris audacioribus imprudens et inscius adhaesit : sed toto corde semper catholicus remansit. Caeteri vero, ut Vatablus, Bovillus, Fortunatus, ne minimum quidem de sua fide dubium injecerunt[1].

Strictius adhuc orthodoxiam coluit Clichtoveus; quinimo quo longius a se repelleret veteres quas olim suspiciones inspiraverat, eo validius Lutherum expugnavit. Partes enim principales usurpavit in praeparandis et redigendis variis censuris quibus Facultas theologica Lutherum profligavit. Ipsum sive privatis sive publicis Theologorum interfuisse congregationibus et quaestiones agitasse, plures testantur. Impulit Facultatem, juxta Chevillerium, ad condemnationem ferendam, eamque in forma qua nunc scribendam curavit. Quod ipse Glareanus confirmat in epistola ad Zwinglium, 4ª julii 1521, directa, qua irridendo praecipuos hujus sententiae fautores nominat : « Mataeologi nostri, inquit, sese dignum egere, ne scilicet vel nostra aetas Pharisaeis careret. Damnaverunt (libros Lutheri) triumviri, Beda[2], non

1. Flaccius Illyricus in *Catalogo testium veritatis*, Argentorati, 1562, p. 567, nominat Fabrum et Clichtoveum, sed falso.

2. De Beda : vide Bibliographicos fontes et *Dictionnaire de Bayle*. — Le Clerc sur Bayle, p. 127. — Graf., Du Boulay, VI, 194. — Erasmus Bedae olim, 181 mendacia, 210 calumnias, 47 blasphemias exprobravit.

tamen venerabilis, Quercus, et quidam *Christophorus*. Nomina sunt horum monstrorum etiam vulgo nunc nota : Belua, Stercus et Christotomus ». Horum priores facile agnoscuntur : tertius autem, etsi mutato nomine, Clichtoveus esse videtur. Dominus enim Filesacius, qui, juxta Chevillerium, fuit Doctor Facultatis peritissimus et decanus, asserit Clichtoveum fuisse *Determinationis theologicae* auctorem praecipuum. Sic enim se habet in suo libro quo, anno 1520, evolvitur *Statutorum Sacrae Facultatis Parisiensis origo prisca :* « Quis censuram Theologorum Parisiensium adversus Lutherum, Melanchtonem, etc... nescit? quam auctore praesertim Judoco Clichtoveo Doctore Sorbonico editam novimus; is est Clichtoveus qui post Eckium Germanum primus de locis controversis fidei adversus Lutherum accurate scripsit[1]. » Quam sententiam ipse de seipso Clichtoveus aliquomodo confirmavit, quum *Determinationem Facultatis* Parisiensis (ap. Badium impressam) in uno ex suis voluminibus, quasi suum opus, ut nunc videre est, religatam inseruerit.

Quae *Determinatio* ut a catholicis reverenter sic a Lutheranis iracunde fuit recepta. Quidam ignotus sub nomine Theologorum in lucem emisit Parisiis quoddam opus, titulo Murman, in quo irridebatur: quod quidem, instigante Beda, anno 1524 fuit censura notatum. Apud Germanos, Lutheri jussu, edita est *Adversus furiosum Parisiensium theologastrorum decretum Ph. Melanchtonis pro Luthero apologia*, in qua Sorbonicos Doctores esse Scripturae et Patrum ignaros, solius Aristotelis et Scolasticae peritos, tandem sine cerebro capita, ut solent Galli, asseritur. Quam apologiam, sua ipsius cura, germanico idiomate translatam, Lutherus ipse eadem forma iisdemque notis condemnare prius ridendo finxit, dein ipsam serio aggressus, suam *Sententiam magistralem contra Facultatem* solemniter pronuntiavit. Ipsam esse totam lepra squalidam, totam lenonibus prostitutam, omnium haereseon sentinam, ejus doctrinam esse ipsius Antichristi doctrinam, ejus Doctores esse Montanistis ac Ebionistis pejores, repetebat.

Quae quidem quanti fuerit ponderis haec *Determinatio* a

Vir iste, huc usque cum nimio vel odio vel amore habitus, sincera dignus est historia.

1. A multis Clichtoveus dicitur primus ex Sorbonicis scripsisse contra Lutherum : sic Launoius (Opera, V, 238, IV, 203).

Clichtoveo elaborata satis insinuant, Erasmumque Guillardum de Clichtoveo gratulantem, 17ª jun. 1521, explicant.

CAPUT TERTIUM DECIMUM.

CLICHTOVEUS PARISIIS REFORMATIONEM CORAM FACULTATE THEOLOGICA ET IN LIBRIS IMPUGNARE PERGIT.

(1521-1526)

Dein Clichtoveus totam vim sui ingenii in refutanda heterodoxorum doctrina usque ad mortem fere convertit, sive in Academia Parisiensi, sive in suis operibus.

Et quidem eo facilius huic operi indulgebat, quod tandem fixam in Navarrae collegio apud Sorbonam habebat sedem. Siquidem, Tornaco a Carolo Vº 21ª decembris 1521 rursus capta, Guillardus ad Parisios regressus erat. Utique cum Erardo a Marka [1], Carnotensi episcopo, Tornacensem episcopatum permutaverat, consentiente rege et summo Pontifice. At Capitulum Carnotense, cui 13ª dec. 1521, notum fecerat suum adventum, propter quasdam clausulas bullarum ad concordatum alludentes, ne sede potiretur, usque ad annum 1525, diversis oppositionibus et appellationibus prohibuit. Interea, Parisiis, forsan in domo sua, dicta des Blancs-Manteaux, permansit, Clichtoveusque sive apud illum sive apud Lassereum habitavit. Cum Guillardus, Navarrae in festo S. Ludovici, 25ª augusti 1524, officium pontificaliter celebraverit, et dein cum Nicolao Dorigny, inquestarum praeside, necnon Nicolao Cappello, decano Facultatis Theologiae, (qui S. Ludovici laudes declamaverat) coenam sumpserit, non est dubium quin et ipse Clichtoveus ibi tunc adfuerit.

Interea se totum academicis Actibus tradebat. Quotannis orationem S. Euphemiae solitam, 16ª septembris, pronuntiavit : Scripturam sacram commentatus est, et disputatio-

1. Erardus, qui Leodiensis erat simul episcopus, Caroli V partes secutus est, et a Francisco I, tanquam hostis, denuntiatus fuit. Coactus est ab episcopatu Carnotensi discedere. Vide Souchet, III, 503, 509, 510, 521, 525. Fisquet : *France pontificale*, Chartres.

nibus judiciisque inter Doctores Theologos principales assumpsit partes. Societas quam, occasione *Determinationis*, cum antiquo adversario, scilicet Beda, inierat, firmior in dies evasit, et, mutuo consensu, indole licet dispares, Facultatis theologicae Acta moderati sunt.

Bedae quidem non minimam praestitit operam Clichtoveus in controversia quam cum Jacobo Merlino de Origene agebat. Res utique pluries e Sorbona ad Parlamentum et vicissim relata fuerat. Petente tandem Beda, commissum fuit a Theologis Doctoribus Clichtoveo munus corrigendi libros quibus et Beda et quidam Massaeus *Apologiam Origenis* a Merlino tentatam impugnabant. Quo facto, licentia ipsis (19ª aug. 1526) suos edendi libros concessa est, negata vero fuit Merlino.

Altera vice, Clichtoveus noster, auctoritate sua, necnon Bedae uti coactus est in favorem sui nepotis, Hieronymi Clichtovei. Hic, dum erat Sorbonae rector, 10ª octobris 1519, temerarias propositiones in sua Magna Ordinaria sub J. Bartholomeo, cisterciensi, praeside, sustinuit[1]. In ea enim hanc thesim posuit : « Non lege divina aut naturali, beneficia bursasve vendere, aut pensiones redimere, in loco sacro aut die festo negotiari, sicut nec ecclesiasticos agriculturam aut manualia opera exercere, est illicitum ». Quam thesim Theologica Facultas reprobavit ; imo, instigante Beda, auditis prius Clichtoveo et Bartholomeo, istas propositiones, ultima excepta, 4ª novembris, condemnavit. Duo praeterea statuit : scilicet ut in disputatione quae dicitur Minor Ordinaria et quam ad Nonas decembres habitus erat, Hier. Clichtoveus contrariam thesim assereret : deinde, ut quibus magistris, aut aliis viris honoratioribus programmata disputationis prioris obtulerat, iisdem et posterioris offerret.

Paruit Hieronymus Clichtoveus, se submisit J. Bartholomeus resque finita est 5ª decembris 1521 : ut rigidam erga theses sic erga Clichtovei personam benignam se Facultas ostendit, ipsumque 24ª martis 1522 in Doctorem admisit. Et ita quidem forsan egit, avunculi ratione habita. Ob eamdem forte causam, in condemnanda opinione Trium Magdalenarum, 9ª novembris 1521, a personis nominandis penitus abstinuit[2]. Item, sequentibus annis quoties de Luthero, aut

1. De hac re d'Argentré, II, VIII : de re Origeniana, d'Argentré, II, IX et Launoius, *De scholis celebrioribus*, p. 156.
2. D'Argentré, II, p. VII.

Erasmo, aut Meldensibus, disputavere Doctores, Bedae vel Clichtovei votis sponte cesserunt.

Clichtoveus enim doctrinas Lutheranas, priusquam inter Theologos discuterentur, in libris suis evolvebat, aut easdem, posquam agitatae et definitae fuerant, ope rationum hinc inde propositarum, refellebat. Qua in re tanto zelo tantaque scientia eminuit, ut a Chevillerio *Malleus Lutheri* fuerit proclamatus, et a Launoio, ut diximus, primus statim post Eckium qui adversus Lutherum scripserit fuerit habitus.

Re quidem vera, singulis fere annis, nova condidit contra Lutherum opera. Librum *De veneratione sanctorum*, 3ª septembris 1523, post aliquam de hac re prolatam a Sorbona sententiam, edidit; *Antilutherum*, 13ª octobris 1524, *Propugnaculum*, 18ª maii 1526; librum *De Sacramento Eucharistiae* contra Oecolampadium, 9ª maii 1527, successive in lucem emisit. Quae quidem opera principaliter quidem Lutherum, sed etiam licet rarius Erasmum et Fabrum carpebant. Quomodo Lutheri omnia fere dogmata refellenda essent, catholicis indicabat: quasdam tantum opiniones Erasmi, non omisso nomine, retundere conabatur: Fabrum autem aut Meldenses, praeteritae ratione societatis et affinitatis, nec suis nominibus, etsi saepius refutatos, designabat. Utinam tam veteri amico crediderint!... Siquidem ob praedicationes ad Parlamentum fuere delati: ipsos a cathedris prohibere Briconnetus jussus est: Farellus in Helvetiam fugit: alii praedicatores, scilicet M. Mazurier et Caroli, iisdem concionibus easdem iras et suspiciones excitarunt; rursus Briconnetus et Mazurier ad retractationem coacti sunt: Caroli quoque fugit, Povent exustus est, Faber Argentoratum secessit, ejusque nomen quasi Doctoris catholici a Sorbona fuit proscriptum. Imo Clichtoveum formidabat Rufus (Roussel), qui scribebat ad Farellum, 6ª julii 1514: « Clichtoveus olim noster pergit pharisaismum tutari, et jam edidit aliquos libros in Lutherium ex aliorum scriptis suo more consarcinatis, de quibus nihil attinet pronunciare, cum plus satis noveritis viri ingenium. Hi nondum impressi, sed mox ac fuerint absoluti, ex officina curabo ad vos veniant[1]. » Hinc plures illi invidebant: Oecolampadius vocabat suum opus de *Sacramento Eucharistiae:* « opus stultissimum »; et Erasmus, 1 aug. 1530, scribebat de Lutheranis: « In Eccium, in epis

1. Schmidt, *Roussel*. 177.

copum Roffensem, in Jodocum Clichtoveum, in J. Cochloeum, elingues sunt, in Erasmum bilem omnem effundunt ».

CAPUT QUARTUM DECIMUM.

CLICHTOVEUS CARNOTI ET IN CONCILIO SENONENSI CONTROVERSIAM PROSEQUITUR ANTILUTHERANAM.

(1526-1528)

Ludovicus Guillardus solemniter ingressus est Carnotum 2ª julii 1525 [1]. Clichtoveus vero Carnoti non visus est nisi 8ª maii 1526, quo die suum *Propugnaculum* episcopo dedicavit. Ibi forsan adhuc degebat, cum prima Synodus a Guillardo in mense octobri fuit habita. Lutetiam rediit causa edendi secundo *Introductorium astronomicon*, et tractatum de *Sacramento Eucharistiae* typis mandandi. Statim ac iste publici factus est juris, 9ª martis 1527, Carnotum regressus est, moxque, scilicet 17 junii, loco Georgii Cheminart defuncti, canonicus renuntiatus est.

Nec in dioecesi Carnotensi jam deerant Reformationis sectatores, quibus impugnandis Clichtoveus cum Guillardo vacaret. Praeter Clementem Marot qui, dum transibat civitatem, ab episcopo fuit in carcerem detrusus, singulari quodam casu accidit, ut ipse Faber Argentorato reversus [2], cum suis discipulis in castello Blesensi, quod tunc erat Carnotensis dioecesis, a Margarita Navarrae fuit receptus. Haec enim regis soror, utpote litterarum studiosa, mysticarum sententiarum curiosa, tum libros eleganter scriptos, Ariostum quidem, Boccacium, Petrarcam, legebat, tum quasdam ad eorum instar narrationes componebat, tum singulares licet pias cum Briconneto permutabat epistolas, tum denique multos convocabat viros, cujuslibet religionis, sed scientiarum et novitatum amatores. Adhaerebant tunc ipsi, ex litteratis, Clemens Marot, Bonaventura Desperiers, S. Gelais, G. Cop, regis medicus, Calvinique futurus amicus, ex theo-

1. Souchet, III, 528.
2. Souchet, 518, 530, 533 : De Clemente Marot, vide Fisquet, *France pont.*, Chartres.

logis J. Major, Margaritae jocalium custos, Faber, ejus bibliothecarius, Michael d'Aranda, ejus lector, Rufus (Roussel), ipsius eleemosnayrius : qui varia condebant opera Reformationisque doctrinas paulatim in Blesensi regione spargebant.

Quamobrem Guillardus, dum erat Blesis, 21ª septembris 1527, contra Nicol. de S. Gelais, protonotarium apostolicum, et Guill. Dunis, medicum Margaritae, aulicos, ut haeresi suspectos procedere jussit, et 9ª octobris denuntiari mandavit qui valvis istos affixerant versiculos :

Sancta pii vivent semper monumenta Lutheri
Et ruet infelix vertice Papa suo[1].

Rursus, 10 martis 1527, per Petrum Sceneau, Blesensis archidiaconi officialem, contra Nicolaum de S. Genais, et Dominam Carlottam, contra Fabrum ipsum discipulumque ejus Martinum inquirere mandavit : quod forsan causa fuit cur Margarita J. Fabrum Stapulensem, ut securior esset, Neracum duxerit[2].

At Clichtoveus nullam his contra Blesenses processibus et praesertim contra veterem Magistrum partem assumpsisse videtur, sed e contra, concilio Provinciae Senonensis[3], quod Cardinalis Duprat, Senonensis archiepiscopus, contra Protestantismum, Parisiis, anno 1528, indixerat, non impigre affuit. Convocati erant non tantum omnes Senonensis archiepiscopatus suffraganei, sed et peritissimi theologicae Facultatis Doctores, qui tam multi confluxere, ut istud Facultatis theologicae concilium esse videretur : « Hisce discussionibus interfui una cum aliis theologicae professionis viris insignibus ad idem Concilium vocatus, aiebat Clichtoveus. » Quin imo praecipuum istius concilii ante Tridentinum doctissimi fuit oraculum.

Prima quidem sessio, 3ª februarii, in ecclesia Magnorum Augustinorum, quae juxta domum Herculis sive palatium Cardinalis erat sita, fuit habita. Initio quidem praesentes fuere cum episcopis omnes tum capitulorum tum abbatiarum deputati : sed cum, ob penuriam ingruentem, tot viri difficile Parisiis vitae necessaria inveniebant, quosdam, sive

1. Cf. Hardouin, *Concilia*, IX, 1925.
2. Souchet, III, 533. — Anno 1532, Petrus Sceneau contra Fr. du Breuil Blesensem rursus processit, Souchet, III, 551.
3. De hoc concilio Senonensi, vide Labbe, XIV, 459, Jager, XXXIII, 393, Chevillier, 420, C. Duprat, 120, Souchet, III, 546.

Juris canonici sive Theologiae peritos, elegerunt, quibus cura quaestiones elucidandi praeparandique conclusiones commissa fuit. Clichtoveus, ab episcopo Capituloque Carnotensi qui ipsorum vices gereret, designatus est.

Hi Doctores, praesentibus episcopis quibus solummodo conclusionum definitio competebat, sessiones multas in domo Cardinalis habuere, scilicet, primo usque ad 1ª Dominicam Quadragesimae, secundo, post festa Paschalia, a 27ª aprilis ad 28 maii. Peracta tandem Pentecoste, inter se quosdam designaverunt qui statuta definita in scriptis redigerent, ex quibus principaliter designatus fuit Clichtoveus. Nec satis : ad coeremoniam solemnem in qua, coram omnibus deputatis, Concilii statuta in unum a Clichtoveo collecta, fuere publice promulgata (15ª septembris), Clichtoveus noster cum Medardo Thiersault, cantore et officiali, necnon Nicolao Bouchard, canonico et Theologo Doctore, per Capitulum Carnotense delegatus est. Quin imo, priusquam clauderetur Concilium, Acta ejus apud Colinaeum typis mandari jusserunt Patres, et ad hoc rursus Clichtoveum designaverunt. Qui quidem ista sequenti anno 4ª septembris edidit, additis tum *Compendio veritatum ad fidem pertinentium contra erroneas Lutheranorum assertiones, ex dictis et actis in Concilio provinciali Senonensi*, tum quadam Praefatione ad Regem in qua celeberrimam processionem imaginis B. M. V. violatae expiatricem mire describebat.

Hic fuit ultimus fere Clichtovei contra Lutherum nisus : Guillardo rursus Navarrae 25ª augusti solemniter celebranti astitit, sermonem solitum in festo S. Euphemiae, 16ª septembris, in Sorbona declamavit, dein Carnotum rediit ibique se totum suo tradidit officio.

CAPUT QUINTUM DECIMUM.

CLICHTOVEUS CARNOTI THEOLOGALIS PRAEBENDAM ET OFFICIA OCCUPAT.

(1528-1543)

Etsi Protestantes a Blesensium finibus ad Castrodunenses grassarentur [1], Clichtoveus jam senior factus nihil fere

1. Souchet, III, 551. *Mémoires de la Soc. Archéol. d'Eure-et-Loir*, II, 117. ex Codice Laisné.

contra ipsos tentavit. Ab ipso tantum emanavit : *Improbatio quorumdam articulorum Martini Lutheri... in quodam libello gallico qui hic discutitur non satis exacte nec recte impugnatorum :* quae est non tam Lutheri quam Georgii cujusdam Halluini, imprudentis ejus adversarii, benevola correctio. Haec tamen ita fuit exacta et probata, ut opus Halluini sic improbatum penitus fuerit suppressum.

Sed praesertim canonicalibus functionibus Clichtoveus incubuit. Praesentatus est per episcopum ad canonicatum et prebendam theologalem 24ª junii. Designatus vero est theologalis 12ª augusti 1528 « cum onere residendi, legendi et praedicandi ». Accepit praeposituram de Ingreyo, 11ª martis 1529 et de Auversio, 24 decembris 1538, cujus posterioris « hommagium » sua manu signatum adhuc possidemus [1]. Archidiaconatum etiam Blesensum, quem 11ª octob. 1533 cepit, mox Andreae Guillardo in curia Romana, 21ª aug. 1535 resignavit. Pluribus Synodis dioecesanis interfuit : priori quidem, anno 1526, Carnoti habito, cujus forsan statuta scripsit ediditque : alteri quoque, quem M. Thiersault et L. Boucher Drocis, 23ª octobris 1532, ob pestem dictam Suette, Carnoti saevientem, tenuere : tertiae tandem, rursus Carnoti anno 1538 habitae, cujus statuta partim ex Synodo anni 1526, partim ex Concilio Senonensi anni 1528 extracta, ab ipso quoque forsan fuere digesta. In his Synodis tres pronuntiavit conciones quae inter ipsius *Sermones* reperiuntur.

Theologalis officio [2] assidue functus est, et felici casu,

1. Quod fecit 10 febr. 1539, et legitur in *Mémoires de la Soc. Arch. d'E.-et-L.*, V, 187, excerptum ex Cod. Bibl. nat. 10096, f° 126.

Souchet, III, 552, 565. — *Registrum resignationum*, Mémoires de la Soc. Arch. d'E.-et-L., II, 117.

2. Praebenda theologalis, jam in Concilio Lateranensi 1215 desiderata, Carnoti a Sixto IV (1474) fuerat restaurata et a Concilio Lateranensi 1510 et Concordato 1515 confirmata. Eam occupavere : 1° Jean de Roca.

2.	12 octob.	1496,	Michel Herault.
3.	12 martis	1510,	Joan des Fosses, doct. theol.
4.	25 januarii.	1515,	Gabriel Robillard, doct. theol.
5.	17 septemb.	1522,	Joan Godet, doct. theolog.
6.	12 aug.	1528,	Judocus Clichtove.
7.	24 sept.	1543,	Petrus Merlin.
8.	18 julii.	1552,	Ludovicus Charpentier.
9.	6 septemb.	1563,	Radulphus Charpentier.
10.	3 sept.	1607,	Jehan Margaut, doctor et canon.
1.	19 fev.	1644,	Fr. Hallier.

(*Reg. Receptionum*, G. 294).

P. Merlin usnon eodem studio ac Clichtoveus theologale munus gessit : itaque, petente Capitulo, Parlamentum 19 jan. 1544, illum jussit « faire

lectionum suarum programma, sua manu in primo folio cujusdam suorum librorum, completum habemus, quod quidem *in extenso* inter Appendices transcribemus. Ex quo patet ipsum a 17ª aug. 1528 ad 20ª februarii 1543, Psalmos, 12 Cantica, 4ᵒʳ Evangelia, Actus Apostolorum, Epistolas Apostolorum, Apocalypsim et tandem Isaiam commentatum fuisse. Hanc lectionem quidem ter singulis hebdomadibus in magno choro Ecclesiae inter Matutinas et Magnam Mistam, scilicet circa 7ᵃᵐ horam, habebat. Insuper, singulis Dominicis, prima post meridiem hora, in magna navi, concionem ad populum declamabat. Quorum munerum ratione, non assistere canonicis officiis permittebatur[1].

Ex his Scripturae Sacrae commentariis et concionibus quaedam specimina adhuc servantur. In Codice quodam Mazarineo (184), leguntur adhuc diversi textus quos, circa 1536, ex Beda vel Ruperto vel aliis ad lectiones parandas extrahebat. Item : *De laudibus trium antiquorum Patrum Joseph patriarchae, David regis, et Tobiae, trifidum opusculum,* quod anno 1533 apud Colinaeum edidit, specimen esse videtur suorum commentariorum. Eodem tandem anno, Lassereo petenti curam commisit suos sermones diversis in locis pronuntiatos ad ecclesiasticorum utilitatem in lucem emittendi : qui omnium plausu ab omnibus accepti sunt.

Nec jam ipse poterat illorum castigationi invigilare : « Vellem equidem ipse perquam libenter Parrhisios proficisci, scribebat Lassereo anno 1533, ad operam meam castigationi quotidianae eorum quae excudentur praestandam. Verum id prohibet canonicatus mei theologalis officium, exigens continuam hic commorationis permanentiam, ad exhibendas quas ecclesiae debeo hebdomadarias lectiones. Vetat quoque idem ingravescens aetas mea, nequaquam subeundis posthac duris laboribus (ut prius) idonea : quod

toutes les semaines en la Chapelle de S. Piat, une leçon de théologie et même deux, s'il n'y a point d'empêchement légitime, pendant une heure entière depuis sept heures du matin jusqu'à huit et à prescher le jour du Dimanche au moins dans la nef de l'Eglise depuis une heure après midi jusqu'à deux, et en conséquence ledit arrêt exempte ledit théologal de toute assistance au chœur et le décharge du point de l'Eglise pendant ses occupations en certifiant d'icelles au Chapitre ».

Archivium Carnot., G. 131, f. 20.

1. Num ille sit Judocus qui juxta Lépinois, II, 170, petiit a civitate auxilium, quo vagabundos peregrinos in festis Assumptionis et Nativitatis anni 1531 ex ecclesia arceret ?

meridiem mortalis aevi jam praetergressus, ad vesperam feror. »

Eodem anno 1533, in epistola dedicatoria ad Guillardum libri *Trium antiquorum virorum* se jam sexagenarium esse dicebat : « Siquidem jam duodeviginti annos in familiam clientelamque tuam me ascriptum, ut filium domi suae paterno fovit et educavit affectu : et quotidie ea beneficentia humanitateque singulari prosequi me non desinit. Insuper eadem veneranda tua Paternitas, canonicali jampridem me donavit beneficio in insigni sua ecclesia Carnotensi et meae quidem professioni accommodo. Ubi consistens, reliquum vitae meae tempus (quantulumcumque jam sexagenario superest) in tranquillo ocio litterario, Deique servitio, placide et quiete transigere potero. Quo nihil mihi optatius, ingenioque meo congruentius obtingere queat. »

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

CLICTOVEUS SENEX FACTUS CONTRACTUS DIVERSOS TESTAMENTUMQUE SUUM ORDINAT CARNOTI, IBIQUE MORITUR 22ª SEPTEMBRIS 1543.

In domo episcopali, dum Carnoti degebat, Clichtoveus solebat residere, sed quamdam villicationis domum diversaque bona paulatim acquisivit. Superest adhuc in publicis Archivis contractus quo, 27ª martis 1538, a Math. Le Breton 14 terrae septarios, medietatem cujusdam domus, aliaque apud Chaunay, 380 libris, empsit : ultimam hujus summae partem, scilicet 100 libras, 14ª martis, 1540, solvit : item quemdam Glatigny opponentem desistere coegit. Alios hujusceemodi contractus huc usque servatos in Appendice breviter dabimus.

Ex suis bonis plura instituit Carnoti, ut olim Parisiis, officia[1]. Officium solemne S. Caeciliae ad altare S. Laurentii prope cameram compotorum, creavit, datis, 27ª octobris 1529, 600 libris pro missa et prioribus Vesperis,

1. Haec ecclesia modo fuerat a Joanne de Belsia constructa, pluresque in ipsa sepulturam eligebant. Souchet, III, 547 et 549, citat Joannem de Belsia, et G. Groignet, vicarium generalem.

5ª nov. 1530 3 libris, pro secundis Vesperis, cum 50ª libris pro cereis coram pia statua, durante officio, accendendis, 27 tandem junii 1532 150 libris pro statione processionali coram hoc altari facienda. Item apud ecclesiam beati Andreae instituit pro 10ª decembris officium S. Judoci, pro 14ª decembris 15cim magnos cereos, pro 15ª ejusdem mensis 4or cereos et unum Obitum. Imo, secutus exemplum Joannis de Belsia anno 1529 defuncti, capellam quamdam a latere sinistro chori sub vocabulo S. Judoci condidit : in eadem tandem ecclesia sepulturam elegit[1].

Anno tandem 1542 24ª aprilis, annuntiavit suis auditoribus se non facturum deinceps suam lectionem nisi bis in hebdomada propter infirmitatem oculorum et ingravescentem aetatem, cum eam antea ter fecisset in hebdomada. Similiter anno 1543, 20ª februarii, denuntiavit auditorio suo, se non facturum postea illam lectionem ordinariam nisi semel duntaxat in unaquaque hebdomada propter hebetationem oculorum et aetatem admodum gravem, ad hoc potissimum inductus consilio gravium virorum qui ita faciendum censebant. Die vero 17ª septembris Testamentum suum, aeger corpore, sanus tamen mente, juxta formulam a Milone d'Illiers praescriptam, in praesentia Johannis Godard, notarii curiae episcopalis, Petri Merlyn, Doctoris Theologi, prioris de Moreneeis, Petri Groignet, curati S. Germani prope Alloyam et Mathei Darde, clerici, Carnotensis episcopi secretarii, dictavit : quod in extenso inter Appendices dabimus. Ultimarum voluntatum executores Medardum Thiersault, Joannem Fabrum (Lefevre), Renatum Clericum (Leclerc) instituebat. Inter cetera legata, notanda sunt plura ex suis operibus quae catenis liganda Bibliothecae capituli reliquit et alia quae Bibliothecae Collegii Navarrae, a Lassereo eligenda, reservavit.

Chlichtoveus tandem obiit in domo episcopali sabbato quatuor Temporum, mane, circa sextam horam, die 22 septembris 1543.

Ejus obsequiae, quas duxit Guillardus, ut in Testamento decreverat, expletae fuerunt. Corpus ipsius fuit conditum in medio choro S. Andreae sub lampade[2]; ipsique fuit superimpositus lapis, in quo, sicut praeceperat, multos circa

1. Souchet, III, 577. — *Livre de bois de Saint-André*, 192 vo : in Archivio Carnotensi.
2. Chorus autem supra flumen Auduram protendebatur.

se discipulos cum libro docens, effingebatur. Cujus inscriptio, delineata prout indicaverat, sic legebatur, incipiendo ab alto ex parte Evangelii :

« Tumulus Judoci Clictovaei Novo-Portuensis, Doctoris Theologi et canonici ecclesiae Carnotensis, omni genere virtutum et litterarum ornatissimi, qui obiit die 22 mensis septembris, anno millesimo quingentesimo quadragesimo tertio. Requiescat in pace. »

Infra legebatur : « Scio quod redemptor meus... » et in libro quem tenebat : « Psallite sapienter. »

Praeter hanc inscriptionem latinam, duplex aliud videbatur epitaphium, versibus gallicis scriptum.

Primum quidem (68ª versus) cujus Launoius refert 4^or^ primos versus et 17^im^ ultimos, tempore Chevillerii (p. 422), periit: en ultimos ex Launoio versus :

Celui-ci estoit né de Nieuport en Flandres
Où il passa ses jours premiers et tendres
Puis en France vint demeurer,
Bien bon François, qui la sceut savourer :
Docteur il fut en la Sainte Ecriture
Tel que dessus j'en ai fait la peinture.
A Chartres où la Vierge Mere à Dieu
A un si beau et si bien servi lieu
Fut à bon droit théologal chanoine,
Où il servit à cette haute Royne,
Jusques a temps que l'an mil et cinq cents
Quarante-trois à mort paya le cens
Sortant du corps l'esprit plus clair que lambre
Vingt et deux jours dans le mois de septembre.
Quoiqu'il advienne
Priez pour l'ame de feu bon homme
Nostre maistre Clicthoue.

Aliud epitaphium legebatur in tabula lapidea quae in capella S. Judoci a latere sinistro chori posita erat :

Cy est l'autel élevé en l'honneur
Monsieur Saint Josse, et en fut le donneur,
Le bon docteur, maistre en théologie
Mais de Paris, et en toute clergie
Josse Clictou. Il a fondé céans
Du même sainct la fête tous les ans,
Et en l'église aussy la Cathédralle
Où il tenoit prébende théologalle,

La feste double et la solemnité,
D'une qui a los de virginité,
Saincte Cécile ; et en la même église
A un autel de cette vierge exquise
Près de l'entrée, en la Chambre des Comptes,
Des messes deux chacun mois sans mescompte.
Cela parfait, son ame rendant monde
Au créateur, il passa de ce monde,
Vint deux jours dans septembre le mois
L'an mil cinq cens avec quarante trois.
Céans au chœur son corps gist et repose
Devant l'autel où Jésus fait sa pause.
Priez-le donc pour celuy que je dis,
De luy donner, s'il ne l'a, paradis.

Clichtoveo mortuo, executores Carnoti[1] sua legata tradiderunt, ut patet ex litteris « quictationis » quas adhuc possidemus. Habemus item adhuc ipsa pleraque volumina per eos nomine Clichtovei Bibliothecae capituli delata. Officium solemne S. Coeciliae in duobus processionalibus[2] insertum fuit et diutius celebratum. At desinente soeculo decimo octavo, cum ecclesia S. Andreae fuit devastata, ossa tumulusque Clichtovei, infelici casu, periere.

Parisiis, officia per Clichtoveum in Testamento postulata aut jampridem instituta, fuere et ipsa, ut petierat, impleta. Apud Navarram[3], cum 6 librae legatae officio solemni non sufficerent, reliquae deficientes a collegio suppletae sunt; libri legati accepti sunt; et in Diario suo provisor Lassereus Clichtovei perpulchrum scripsit elogium quod infra relaturi sumus.

Similiter in antiqua Sorbonae ecclesia, aiebat Bouvotius, Sorbonae secretarius, depictus in vitrea Clichtoveus videbatur.

1. Nec verum quod dicit Miraeus, Clichtoveum legasse in testamento suum patrimonium suis concivibus alendis in studiis.
2. Codices Bibl. Carn. 538, 539.
3. Ex libris Navarrae legatis : vide Mazarinaeum, 35980, in quo programma lectionum suarum ut Theologalis exscripserat. — Vide etiam Bibl. nat., D. 7022, sub nº 37 et Bibl. Maz. nº 35938.

PARS SECUNDA

DE JUDOCI CLICHTOVEI NEOPORTUENSIS OPERIBUS

CAPUT PRIMUM.

QUEM LOCUM IN RESTAURATIONE LITTERARUM ET THEOLOGICARUM SCIENTIARUM VINDICET CLICHTOVEUS?

Expleta Clichtovei vita, indicandum nobis superest quas partes in Renovatione litterarum et in Reformatione orthodoxa vel heterodoxa egerit, seu quis locus ipsi sit assignandus inter summos viros sui saeculi.

Audiendi sunt primo ejus coaetanei et qui non multo post illum vixere: dein scrutabimur diversa principia quibus in diversis scientiis praesertim ecclesiasticis usus est, sive ante sive post Lutheri condemnationem.

Qui de Clichtoveo locuti sunt fere omnes ipsum, post J. Fabrum Stapulensem, ut praecipuum litterarum fautorem et sacrorum studiorum renovatorem, praedicavere. Quos jam audivimus, Chevillerius, Bouvotius, Filesacius, Launoius, nonnisi coaetaneorum elogia repetunt, videlicet, Vatelis, Cheradami, Rhenani, Erasmi, Gerardi Rufi, Lasserei et aliorum.

Erasmus Clichtoveum, *uberrimum rerum optimarum fontem, secularibus disciplinis et Christiana disciplina instructissimum* (1520), Guillardo scribens, proclamabat; juxta Rufum erat, « *eximius Doctor Theologus, litterarum monumentis et candore quoque virtutum probe notus.* Item juxta Fr. Sylvium: *in philosophicis atque theologicis disciplinis gravissimus.* Juxta Vatelem: *Ut est vita et moribus inculpatissimus, ita in omni disciplinarum genere eruditissimus.* A Claudio Espencaeo dicitur: *Clichtoveus, magnum nostrae Facultatis ornamentum.* Lassereus ipsum multimode laudat, tum in Epistola ad *Sermones* introductoria, tum in suo *Diario*

(7 junii 1517): *Probitas, et religio et doctrina viri, ait, sunt ornamento et decori Collegio.* Et post ipsius obitum addit: *Erat summus orator, summus historicus, summus logicus, summus philosophus, summus theologus, et Religionis Christianae summus propagator.* Et quidem posterius a Sixto Siennensi, *theologus, philosophus, orator et in eloquiis sacris enarrandis declamator egregius,* renuntiatur. Imo a continuatore Trithemii plus aequo laudatur: *Judocus Clichtovoeus Neoportuensis*, ait, *Doctor Theologus consummatissimus, philosophus nitidissimus, oratorque adeo insignis, ut ferinos hominum mores et omne mortale genus, divina potiusquam mortali facundia componat, qui ad haec natus videtur officia ut litterarum ignaros rectis habenis dirigat, insulsos terso eloquio erudiat, philosophiae splendore destitutos, pulsa procul caligine, nitidissimo fulgore illuminet... Suum philosophiae reparare nitorem summopere nititur, et maxime in sacris eloquiis interpretandis studium conterere, animo menteque decernit.....*

Hi quidem universas simul ipsius dotes praedicant: alii vero quasdam singulariter eminentes animadvertunt. Quoad elegantiam, Despauterius Clichtoveum Erasmo comparat, et Hier. Papiensis dicit ipsum: *conceptiones Fabri stylo elegantissimo reponere in scriptis.* Petrus des Groux (1506), eumdem *Ciceronem thesophum* vocat, ejusque sermones, *varios, faciles, eruditos*, Lassereus asserit. Caesarius tractatus logicos ejus extollit, Camperius item amorem quo Aristotelem prosequitur, et ejus Theologiae Scripturaeque sanctae peritiam celebrat. A Cheradamo: *sacrae paginae instaurator* dicitur, a Guil. Parvo (1514) *magno eclogio Theologus,* a Tilmanno Carthusiano, *pius juxta ac eruditus Doctor Theologus.* Pontanus, Clichtoveum habet, post Fabrum, Erasmum, Raulinum, juxta Badium et Bibaucium, quasi Belgiae decus, *sacrarum litterarum erudita explanatione.* Si credas Philippo Bergamensi, Clichtoveus sic fuit summus in Renovatione litterarum Theologus, ut Budaeus et Erasmus in eadem fuere viri litteratissimi, ut Bovillus fuit summus mathematicus, et Faber fuit summus philosophus. Camperius quoque et post ipsum Cassaneus Clichtoveo non inferiorem inter viros hujus sacculi praestantissimos locum assignant[1].

1. Cf. Launoium, *Reg. Navarrae gymnasii historia*, Opp. IV, p. 608. De J. Clichtoveo.

Et revera cum Fabro Clichtoveus noster inter praecipuos litterarum restauratores est collocandus. Pluribus quidem styli elegantia cessit, sed plerosque, sententiarum gravitate et veritate ingeniique dotibus superavit. Quippe qui non tantum litteras scientiis ecclesiasticis, philosophicis aut theologicis, admiscere, sed etiam novas methodos antiquis humaniores imo et perfectiores propagare, conatus est : et quidem hoc feliciter forsan successisset, nisi suspicionibus ob Gallicos Germanosque Reformatores de se excitatis, omnino fuisset impeditus, imo et deterritus.

Ingenuae et liberalis institutionis, quam a Fabro recepit et cum ipso in veteri Universitate Parisiensi substituere tentavit, Faber ipse completum programma descripsit : quod cum fuerit quasi ratio studiorum Clichtovei, referre hic in extenso non erit supervacaneum :

« Faciendum ceu in praeclarioribus quibusdam locis etiam nunc facere audio, unde et merentur laudem ut bonorum authorum libri (rejectis absque certa autoris alicujus littera et frigidiusculis phantascolis) legantur, ipsaeque cum in philosophicis tum in sacris eloquiis primariae litterae perinde atque grammatici qui Virgilium discunt, nunquam se Virgilium audisse discant, qui literam ipsam et heroicos ipsos ut author composuit nunquam didicerunt. Et tunc licet, inter legendum authores ipsos, illas interpretationes et commentarios a profitentibus commendari, qui scite ad authorum intelligentiam faciunt et literam ipsam patentem atque perviam. Poterunt igitur qui docendi provincias suscipiunt, suos auditores ammonere *in grammaticis* — quoad praecepta, prodesse et Sypontinum et Diomedem legi et tales : neque nimis immorandum.

— Ad carmen, Virgilium et Mantuanum alterum, castumque et coelibem Prudentium, et si qui similes ; multitudo tamen confundit.

— In oratione liberiori et quae lege carminis soluta est : epistolas Ciceronis, Plinii secundi, Francisci Philelphi.

In rhetoricis : praecepta Ciceronis : si delectabunt historiae, post sacram, castiores sunt Josephi et Egesyppi, religiosiores Heraclidis et Agiographae.

In dialecticis : logicam Aristotelis ad litteram, non precariam, quaesita a Boetio et aliis fidis interpretibus intelligentia.

In Arithmetica : Nichomachum Boetii.

In Musica : ejusdem Musicam.

In Geometria : Euclidem.

In Astrologia : Ptolemaei Theoricen quae et Magna compositio.

In Naturalibus, Moralibus, rebus publicis et re familiari : Acroamaticorum, Physicorum, Ethicorum, Politicorum, Aeconomicorum Aristotelis ex fonte puri bibantur liquores.

Ex his enim legitime transitur ad *leges* non ut ditetur quis, non ut rutiletur cocco, aut effulgeat ostro; sed ut sit fidus, incorruptusque justitiae minister.

Sed qui volet haec ad finem deducere superiorem feliciusque otium, praeparetur in libris Aristotelis qui *transmundanorum* et *metaphysicorum* sunt, quique de prima supramundanaque philosophia nuncupantur. Hinc libri sacri cum veneratione tractentur. Quibus assint comites Cyprianus, Hilarius, Origenes, Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus, Athanasius, Nazianzenus, Damascenus et similes.

In his autem mente purgata et sensibus exercitatis, actione vitae consentanea et morum honestate, calcatis vitiis, si mens generosior elevatiores contemplationes affectet, paulatim ex libris Cusae surgat et divini Dionysii et si qui sint hiis similes.

Hanc procul dubio ingenuam et liberalem putaverim esse institutionem.[1] »

Quod programma, de verbo fere ad verbum, Clichtoveus, tum in docendo, tum in scribendo, duce Stapulensi, implevit, saltem usque ad controversiam Lutheranam, ut ex dicendis melius constabit.

CAPUT SECUNDUM.

CLICHTOVEUS STUDIIS FAVET GRAMMATICALIBUS SIMULQUE PROSAM ET POESIM EXCOLIT.

Ut a fundamentis litterarum restitutionem cum Fabro inciperet, Clichtoveus, priusquam opera ad philosophiam

1. *In Politica* annotationes ad cap. VI, lib. VIII, 1505. — Huic programmati simile est quod H. Guebwiler, anno 1514, edens *Introductionem in Physicam Paraphrasim*, Argentorati delineavit. V. Haegh., p. 349.

spectantia evulgaret, edendis quibusdam de Grammatica libris vacavit. Asserebat quippe Grammaticam caeteris artibus dignitate minorem esse, sed esse magis necessariam. Respuebat quoque veteres hujusce scientiae tractatus, scilicet *Doctrinale* Villae Dei (Villedieu) et *Graecismum* Ebrardi quem didicisse poenitebat Erasmum[1]. Quapropter explicandas elegit et typis mandandas, ab anno 1498, Gasparini Pergamensis *Eloquentiam*, Augustini Dathi et Francisci Nigri regulas *Elegantiae* (quibus addidit nomina dignitatum et magistratuum Romanorum) quia formulae ab his auctoribus datae erant completae, breves, elegantes, ciceronianae : hae formulae tantum studiosae juventuti placuere, ut, intra 20 annos, plus quam decies a pluribus fuerint reeditae et auctae, imo et a Clichtoveo ipso, anno 1521, in sua forma primaria restituendae fuerint. Solum fere Despauterium Clichtoveus aequalem in grammaticalibus habuit : ut Despauterius Clichtovei auctoritatem non aliter ac Erasmi invocabat, sic Clichtoveus Despauterium praedicabat : « In omni parte Grammaticae tradenda, jure, terse et absolute recentiores omnes aut aequasse, aut (ut potius censeo) exuperasse videtur et cui plurimum debet latinae linguae studiosa juventus[2].

Caeterum multos ex veteribus legerat Clichtoveus : Caesarem, Titum Livium, Aulu-Gellium citat : Cicero ei ut Frenando familiaris erat : Senecam, Quintilianum evolvit. Inter Christianos, Lactantium et Hieronymum quorum excerptiones collegit, omnesque fere Patres cognovit. Nec modernos neglexit : Aeneae quidem Sylvii seu Pii II[i], Philelphi, Poggii, Laur. Vallae, Erasmi etiam et Lutheri opera non nescivit, quorum elegantias, non sententias, sincere saepius laudavit[3].

Poeticis quoque auctoribus plurimum indulsit. Non equidem ipse poeseos fuit peritissimus. Versiculi quos diversis operibus (1488, 1492, 1506, 1509) adjunxit, aut in *Elucida-*

1. De studio grammaticae a Guill. Ficheto, (c. 1470) a R. Gaguino, a Badio, a Despauterio in Gallia, a Laurentio Valla, Perotti, Mancinelli, in Italia, a Rod. Lange, Hermann Busche, in Germania, ab Alex. Hegio, J. Suntheim, Herm. Torrentino, in Flandria. Cf. Thurot, *Histoire des doctrines grammaticales*, 491 et sqq. — Vide etiam Sturmium in *Vita B. Rhenani*. Horawitz : « Occupabant enim tum adhuc litterarum gymnasia, Alexander grammaticus, Petrus Hispanus dialecticus, et Tartaretus commentatus : » et in Theologia Scotus et Lyra.

2. *Elucidatorium*, 1548, p. 54.

3. *Id.*, pp. 71, 250, 126, 87, 137.

torio, metro praesertim saphico, inseruit[1], non ipsum inter poetas valde commendant. Ast versificatoriam artem penitus calluit, ut patet ex eodem *Elucidatorio*, in quo metrorum genus, licentias tolerandas aut corrigendas, non imperite designat. Item scite de quorumdam vocabulorum, v. g. Maria, Paraclitus, Catharina, quantitate disserit. Si dubitet, ad Calepinum, ad Despauterium, ad Bebelium provocat[2], saepius tamen ad poetas antiquos.

Hos etenim poetas ita legerat et memoriter retinuerat ut eorum versibus scripta sua facile ornaret. Ex paganis quidem fere nullum non noverat : Terentium, Virgilium, Ovidium, Lucanum, imo Catullum, Martialem, Tibullum nominat. Christianos quoque poetas frequentavit, scilicet ex antiquis, Sedulium, Aratorem, Probam Falconiam, Juvencum, Fortunatum et maxime Prudentium, ex modernis autem Petrarcam, quem « poetam christianissimum » vocat[3]. Æneam Sylvium, et praesertim Carmelitam Jac. Baptistam Mantuanum, quem Ordinis Carmelitani sua aetate decus egregium, aut secundum Virgilium proclamavit.

Caeterum hoc ipsi et Fabro concedendum est quod nunquam in legendis poeticis aut prosaicis scriptoribus ita elegantiae et styli splendori attenderunt, ut morum honestatem, vitaeque utilitatem, fideique veritatem neglexerint. E contra, dum plures apud Italos aut Germanos, prae nimia antiquorum idololatria, frivolis et obscaenis poesibus indulgebant, Clichtoveus, sacerdotali quodam instinctu pulsus, paganis eorumque aequalibus, omnino christianos piosque praetulit auctores, ipsosque solos in scolis legendos commendavit[4].

Quamobrem, anno 1514, cum in Codice Mazarineo 912 volumen quoddam describebat in quo Christianos poetas Aldus Manutius[5] ediderat, hortabatur hunc typographum,

1. Pro sabbato ad Vesperas. — Ad Epiphaniam. — Ad Quadragesimum p. 14, 22, 24.

2. *Elucidatorium*, 1548, p. 71 : « Henricus Bebelius Instingensis, vir utique in humanioribus litteris et cultioribus disciplinis eruditissimus, quem in citandis hymnorum authoribus potissimum insequor, nominatimque illos assigno peculiari expressione authores, quos ab eo nominatos invenio in annotamentis illis quae super hymnos ecclesiasticos collegit... »

3. *Id.*, 181. poema de Magdalena : Dulcis amica Dei.

4. Cf. cum Rhenano, Horawitz, 12, et Fabri Comment. in 1ª ad Corinthios, 15. — Cochlaeus, ipse Erasmus, et alii, ob abusus, paganos redrobaverunt.

5. Clichtoveus laudat etiam in *Elucidatorio* Jod. Badium « virum utique

ad dandam operam « ut suo studio in lucem exeant opera christianorum authorum, oratorum et poetarum, quorum lectio eruditionem rectam et morum institutionem afferat, quo potius illa legantur quam authores gentiles et fabulae poetarum plenae vanitatis, mendacii et superstitionum, et in quibus corrumpuntur potius mores quam recte instituantur. »

Aldo Manutio rursus in *Elucidatorio*, anno 1516, laudem dabat, quod Prudentium evulgaverat, istiusque opera valde praedicabat. Gratulabatur « opera ejus emissa in lucem studio et industria Aldi Manutii, viri utique de re literaria optime meriti. Et certe talia sunt, aiebat, ipsius Prudentii opera et talis ipse author, ut imprimis dignus sit a Christianis legi : quod in ipso et sermo ipse sit cultissimus et carmen cujusvis generis elegantissimum, et, quod plurimi fieri debet, sententia Christianae pietati ac religioni maxime conformis. Nihil in eo quod castas et pias offendat aures invenias, nihil quod deorum (ne dicam daemonum) nomina, flagitia et scelera commemoret. Itaque si commendantur apud Gentiles qui hymnos et odas in suorum deorum laudem conscripserunt, ut apud Graecos Orpheus et apud Latinos Horatius, nonne majore commendatione apud Christianos sunt digni, qui in veri Dei venerationem pios ac religionis plenos modulati sunt hymnos ? Inter quos Prudentius noster primum fere locum obtinet. Rursum, si diligenti studio decantarunt ethnici suos hymnos, ut quos putarunt deos celebrarent, nonne vigilantiore opera et diligentiore cura, nos quibus divino indultu lux veritatis infulsit, debemus Deo vero hos hymnos concinere ? Facessant igitur odae Horatianae, valeant Dianae laudes et Veneris Cupidinisque, atque in earum locum succedant pii hymni conscripti Deo et sanctorum praeconia. Hunc denique christianum authorem et quidem probatissimum potius lectitent Christiani quam impura poetarum carmina, Venerem olentia et deorum gentilium (qui in ore Christiani, si Hieronymo credimus, sonare non debent) facinora et fraudes buccinantia[1]. »

Hoc illum autem praecipuo honori Clichtoveo tradendum est, cum omnes fere coaetanei medii aevi poetas despiciebant, tum prosas tum hymnos Abelardi, Petri Venerabilis, Adami

de lingua latina optime meritum et probatorum auctorum illustratorum diligentissimum » occasione vitae S. Agathae..., p. 229.

1. *Elucidatorium*, 4ª ed. Parisiis, 1548, p. 29. — *Propugnaculum*, II, 33.

de S. Victore, Thomaeque Aquinatis degustasse. Prosa Abelardi: *Mittit ad Virginem*, est « pulcherrimis depicta coloribus, metaphoricis adornata locutionibus et allegoricis sententiis adumbrata : eadem luculentissime exprimitur, ut nec veritas desit elegantiae verborum, nec elegantia veritati : nec sententiarum copia ex diversis Sacrarum litterarum locis deprompta desideretur ». Hymni de S. Benedicto a Petro Venerabili confecti « ambo elegantes admodum sunt et compendiosi paucisque multum et piam complectentes sententiam ». In Adamo de S. Victore laudat Clichtoveus cadentium syllabarum harmoniam, sententiarum vivacitatem, styli splendorem, vocum delectum, figurarum veritatem, non aliter ac consueverunt moderni. De hymnis pro festo Corporis Domini a Thoma Aquinate conscriptis : « Sed quid hymnos diei illius solemnis commemorem, ait? Quam suavi decurrant modulatione, quanto sententiarum pondere abundent quantaque mysteriorum exuberent plenitudine ! Quid succulentius (ut interim coetera taceam , hoc versu hymnico quadrifida Christi in nos beneficia paucis verbis complectente : *Se nascens dedit...* etc. Quid item sincerius hoc versu invocatoriam orationem ad sanctam Eucharistiam continente : *O Salutaris...* etc., qui hoc tempore calamitoso... a toto clero saepius decantatus est... Si prosam ipsam in solemni Missae officio concini solitam attendas (*Lauda Sion*) nihil illa concinnius aut suavius invenias. Gratissima quippe in ea rythmorum sonoritas et dulcissima percipitur vocalitas [1]. »

Dumque piis ac elegantibus scriptis favebat, contra detractores fidei et morum, praesertim post Lutheri condemnationem, vehementer invectivas orationes proferebat, eosque tanto pejoris peccati arguebat quanto castigatiore stylo nitebant. In *Antiluthero* Erasmum vocavit Antichristum quia de *Interdicto esu carnium* elegantem librum sed impium scripserat : « quod si quis in majorem prorumpens

1. Praeter latinam linguam Clichtoveus noverat flandricam, ex qua S. Coletae vitam transtulit : item gallicam, cum plures sermones hoc in idiomate pronuntiaverit : de hebraica improbabile est, etsi vocis Alleluia etymologiam dederit : graecam probabilius sed parum cognoscebat : ei tamen Faber Damasceni traductionem corrigendam, 1507, obtulit. De amicis ejus non est dubium. Faber Bibliam ex Septuaginta interpretibus corrigebat, Rhenanus Gregorium Nazianzenum vertebat. Aleander explicabat Theocritum : Hermonymus Spartanus docebat, Budaeusque scribebat graece. Hummelbergius grammaticam graecam condebat, ipse Clichtoveus voces Paraclitus, ομοουσια, Κυριε ελεισον ex graeco explicabat.

insaniam, librum edat blando verborum lenocinio et suavi elegantia sermonis respersum, (ut aucupis more illecebris illius fallat incautos et melle circumlitum instillet animis venenum), in quo totis contendat viribus perperam ab Ecclesia interdictum esse certis diebus esum carnium... quid de eo censendum putes? Nonne in eo suo opere praecursor videtur Antichristi et publicus hostis Ecclesiae, nonne etiam idem assectator Epicuri, assertorque voluptatis habendus est et Christianismi subsannator ». Rursus in *Propugnaculo*[1], Erasmum, tum ob idem opus tum ob ejus *Encomium Matrimonii* suggillabat : « Utinam ipse splendorem eloquentiae latinique sermonis elegantiam (qua non mediocriter valet), adhibuisset ad aliud quidpiam honestius Christianaeque pietati congruentius ! Plus sane et honoris sibi et utilitatis aliis attulisset ». Nec admittebat Erasmum illa quia erant opera juvenilia excusantem. « Inconsultam adolescentiam serior aetas corrigere debet, maturioreque consilio illius errores emendare atque retractare. Sic sane factitasse dinoscitur eximius doctrina rerumque gerendarum prudentia vir Aeneas Sylvius, in summo Pontificatu Pius secundus appellatus. Qui, cum in adolescentia de duobus se amantibus insanoque ad invicem amore correptis, lasciviuscule scripsisset opusculum, jam gravis aevo et ad Ap. Sedis moderationem assumptus, salutarem et viro Christiano dignam egit de illius libelli conscriptione et editione poenitentiam : ita in epistola 49 fideles omnes compellans : « Seni magis quam juveni credite. Nec privatum hominem pluris facite quam pontificem : Aeneam rejicite, Pium suscipite[2]. »

Wimphelingius optabat plures inveniri, qui Clichtoveum secuti, prae paganis et profanis christianos et pios authores imitarentur. Praestantiores utique fructus, nisi fuisset religiosis controversiis et paganorum dignis inclinationibus turbata, peperisset litterarum renovatio : viros antiquis forma aequales sed sententiis praestantiores produxisset.

1. II, 30.
2. *Propugnaculum*, II, 34.

CAPUT TERTIUM.

CLICHTOVEUS ARISTOTELICAE PHILOSOPHIAE RENOVATIONEM CUM FABRO STAPULENSI PROMOVET.

Renovata quidem grammaticali disciplina, Clichtoveus cum Fabro caeteras scientias ad Baccalaureatum et Artium Magistratum requisitas, scilicet Logicam, Physicam, Moralem, et Arithmeticam instaurare statuit. Hae scientiae tunc ex aristotelicis operibus hauriebantur, merito quidem, cum nemo eas Aristotele plenius et solidius tractaverit.

Quem philosophum Faber et Clichtoveus omnino mirabantur. Aristoles, aiebat Faber anno 1494, est « in logica rationali subtilissimus, in philosophia mundana philosophus, in ethicis totus prudens et activus, in politicis jurisconsultus, in metaphysicis sacerdos atque theologus ». Idem de Aristotele sentiebat Clichtoveus. « Quid Aristotelem, aiebat an. 1498, quem dubito scientia rerum, an scriptorum copia, an eloquendi suavitate, an inventionum acumine, an varietate operum, clariorem putem? Ejus doctrinam, jactis grammaticae fundamentis, moneo studiosi juvenes audiant, eum pientissime colant, et tanquam litterarum parentem summum venerentur, magnum ex ejus disciplinis recte intellectis profectum consecuturi[1]. » Non aliter scribebat in praefatione ad libros ejus Physicos : « Aristoteli permultum debet genus humanum quia disciplinas ante se varie dispersas in unum quasi corpus singulas redigere dignatus est. Itaque qui discere volunt hunc amplectantur oportet... sive Logicae, sive Physicae, sive Ethicae tradat praecepta. Continuata ubique est doctrina et ab ipsis primordiis rerum ad finem usque perducta scientia ».

Itaque Clichtoveus de expellendo ex studiis Aristotele, (ut Ramus postea et viri tunc temporis litterati), nullomodo cogitabat, sed tantum ipsius purissima exemplaria ex Italia per Fabrum relata et ex graeco versa per Georgium Trapezontium, Argyropolum Bizantinum, cardinalem Bessarionem, aut per Italos Leonardum Aretinum et Raphaelem Volte-

1. *Elegantiae Aug. Dathi*, 1498.

ranum ceteris lectionibus huc usque in scolis adhibitis cum Magistro substituere statuit. Istae quidem mendis omnimodis erant maculatae, et secundum traditiones potiusquam secundum scientiam, sine gratia et arte explicabantur[1].

At priusquam hi novi textus evulgarentur, Faber diversas *Introductiones* a 1490 ad 1500 in diversis aristotelicis libris composuit, quibus doctrina breviter et nitide colligebatur : addidit dialogos quosdam inter ipsum et Clichtoveum qui *Introductiones* ipsas resumerent. Has *Introductiones* hosque dialogos Clichtoveus edidit, scilicet ad libros Physicos, an. 1492, ad Logicos, an. 1496, et deinde ad Morales. Nec satis : a 1500 ad 1503, nova condidit ipse de his commentaria seu scholia, non more scolastico sed elegantissime. Textus tandem genuinos postea Faber ope Vatabli, Clichtovei, Bovilli publicos fecit.

Quomodo scripserit haec scholia. Clichtoveus in *Praefatione ad Libros Physicos* sic explicat : « Non sum supervacuum ratus ad Physicam Paraphrasim Jac. Stapulensis praeceptoris mei superioribus annis elaborata scholia adjicere, non perpetua continuaque lectione decurrentia, sed successiva atque interpolata sicubi locus efflagitabat, ut ea duntaxat quae abstrusam habent et elucidatione indigentem sententiam adaperiant ». Haec autem pro sua methodo contra Scolasticam addebat : « A quaestionibus autem recentiorum more agitandis et ventilandis argutiis contra probatas philosophiae probationes consulto temperavi, quod haec veram non pariant disciplinam, sed futilem potius loquacitatem obstreperamque garrulitatem a modesta tranquillaque philosophia longe abhorrentem. Enimvero solent haec ratiuncularum contra scientiarum veritatem pugnantium commenta non ad amplectendum earum certitudinem synceritatemque conducere, sed ab ea detorquere potius et ad captiunculas quasdam sophisticas prolabi nihil cum vera doctrina commercii habentes : quibus imbuti ingeniorum adolescentium animi, cum ad maturam scientiarum frugem

1. Barthélemy S. Hilaire. *Aristote. Logique*, Préface, c. II, optime disserit de alteratione Aristotelis per scolasticos, et de necessitate operum ejus emendandorum. At non meminit nisi renovationis a Petro Ramo tentatae, oblitus Fabri Clichtoveique. — De eodem vide Launoium *De varia Aristotelis fortuna*. Hic, cap. 10, et 11, dicit Clementem VII Papam, Avenionensem, (c. 1390), Gersonem, Clamengis, Bessarionem et post Fabrum, J. Majorem, Almainum, dein Nicolaum V^um^ traductionem meliorem operum Aristotelis exoptasse. Legatur etiam J. Sturmius in *vita B. Rhenani*.

provehi deberent, exarescunt prorsus et in steriles herbas vanescunt..... Dissolventur quidem in adjectis scholiis nonnunquam quaestiones pro rei materia occurrentes ac agitari dignae, non tamen modo barbaro, insulso et crasso, quo nostra tempestate in disciplinis moveri conspiciuntur ac deprehenduntur ».

In *Praefatione* etiam *ad libros Ethicos* dicebat: « Exempla ex historicis desumpta interjeci, quod ad virtutem inducendos animos puerorum efficacius quam verba promoveant. Neque poetarum carmina, ubi locus efflagitabat, interserere praetermissum est, quod ii quondam apud suos morum magistri habiti sunt. » Ut penitius deprehendatur paedagogica methodus Clichtovei in illustrandis Aristotelis operibus, exemplum sumatur ex Commentario in *Introductionibus* Fabri Stap. *ad Ethicen* v. g. *De Fortudine*. Hic ponuntur 1° textus Aristotelis de virtute *Fortitudinis;* 2° Commentarium Fabri; 3° Quaestiones super textu et Commentario; 4° Elementa responsionum ad has quaestiones brevia ; 5° Praecepta moralia ad fortitudinem attinentia ; 6° Responsiones longiores, juxta elementa supradicta, ad quaestiones, et praeceptorum explanationes. Et taliter se habent fere omnia Clichtovei commentaria in *Introductionibus* Fabri super opera Aristotelis. Commentariis autem Fabri in Doctores, v. g. Damascenum et Dionysium scholia tantum addidit Clichtoveus textum aliter et fusius explanantia.

Nec satis: philosophiam aristotelicam platonica temperabat, ut ait Hier. Papiensis : « Cum is Aristoteli plurimum faveat, in nullius tamen juratus verba magistri, ita miscebat interdum platonica quaedam cum peripateticis ut suis quemque propriis haud defraudaret laudibus. »

Quapropter omnium plausu acceptae sunt istae *Introductiones* cum scholiis, et Friburgi Brisgoiae, Cracoviae ab Henrico Stromer Auerbachensi et Greg. Stawischin, in Deventer a J. Caesario, cum laudibus editae sunt. Item in Germania Rhenanus ipsas amico commendabat; eidem Rhenano mittens Hummelbergius Fabri quoddam opus, Logicam antiqua barbarie purgatam scribebat[1]. Rhenanus iterum Reuchlinio dicebat per Fabrum peripateticam philosophiam omnibus perviam factam fuisse : Reuchlinius ipse exclamabat : Philosophissime Faber. Itaque in Germania quidam

1. *B. Rhenanus*, Horawitz, 2 april. 1509, 15 nov. 1509.

Fabro adhaeserunt, et contra Terministas seu puros scolasticos, Fabristae sunt vocati : qui quidem cum discipulis Melanchtonis societatem habentes, Universitatibus dominati sunt, et genuinum Peripatetismum servarunt[1].

Ut Germani ita gratanter Itali recepere *Introductiones* et scholia Fabri Clichtoveique : inter quos nominetur Marcus Aequicolus Olivetanus, qui post *Commentaria in libros Physicorum* (1531) Cardinali Soderino scribens, gloriabatur se vivere tempore Pontani et Baptistae Mantuani poetarum, Pici de Mirandula et Marsilii Ficini, eruditorum, Herm. Barbari et J. Lascari litteratorum, et Fabri, philosophi. Jamque vidimus II. Papiensem Alpes ipsas ad videndum suis oculis Fabrum, Clichtoveum, Bovillum, transeuntem.

Galli quoque haec aristotelica opera libenter acceperunt, eaque pluries, Lutetiis, Rhotomagi, Lugduni edidere. A G. Parvo ad Cl. Seyssel scribente vocatus est Faber : *primarius philosophus*, et ab Stephano de Bar : *totus Galliae philosophorum princeps*. Ast, quemadmodum viris litteratis placuit, quibus pervium reddebat philosophiae studium, sic Theologos Sorbonicos quorum usus pervertebat, graviter offendit, qui, capta occasione controversarium jam dictarum, in apertum exarsere, et innovatae philosophiae notam quamdam heterodoxiae injecere. Tunc, Fabro jam expulso, et retractato Clichtoveo, ut antea regnavit in scholis scolastica methodus. Frustra, post aliquot annos, Ramus, Fabri Clichtoveique imitator, scolastico sermoni litterarum elegantias addere, Aristotelique crudo poeticam Platonis doctrinam substituere tentavit : victus est, et renovatio a Clichtoveo sub Fabro inchoata paulo post evanuit.

CAPUT QUARTUM.

CLICHTOVEUS SCIENTIARUM PHYSICARUM INSTAURANDO STUDIO LABORAT.

Post Grammaticam et Logicam, Faber cum Clichtoveo restaurandis Quadrivii scientiis studuit, sive novos edendo textus, ut, libros Nemorarii de Arithmetica, Euclidis de Geometria, Boecii de Musica, sive componendo *Introductorium*

1. Lutherus oderat, Melanchton colebat Aristotelem.

Astronomicon ex Ptolemeo, sive aliud *Introductorium* ad Arithmeticam ex Boetio, et insuper *Rithmymachiam* edendo. Ad cujus instar multa Bovillus de Geometria, Rufus de Boetii Arithmetica, Clichtoveus quoque de utraque, in lucem emisere.

Hic enim mathematicas scientias ad coeteras acquirendas, post Pythagoram, Platonem, Fabrum, Bovillumque utilissimas reputabat: « His neglectis, aiebat, omnis sane obscuratur disciplina, quia disciplinae omnes reliquae earum egent praesidio, haud minus quam grammaticae aut logicae.

Non enim in naturali philosophia, rectam magnitudinum assequetur intelligentiam qui geometriae fuerit expers, nec proportiones virtutis motivae ad mobile plene capiet qui arithmeticae sit ignarus.

In morali autem philosophia, de justitia communium distributiva commerciorumque commutativa quis apte disseret, arithmeticam medietatem et geometricam non exacte percallens.

Denique ad divina assurgendi praeclusa est facultas, si mathematicarum disciplinarum desit praesidium, quae vel maximum praebent divinorum cognoscendorum adminiculum. Hinc philosophus in logicis et physicis saepius adducit exempla mathematica, quum adolescentum animos mathematicis disciplinis esse institutos supponat, antequam logicam aut naturalem philosophiam aggrediantur[1]. »

Cum haec de scientiis mathematicis sentiret Clichtoveus non dedignatus est plura de eis condere opera. Nec tantum Fabri *Introductiones* in Arithmetica et Astronomia commentatus est, aut quemdam Abacum auctoris incerti in lucem emisit, sed etiam ipse *Artem* seu *Praxim numerandi* composuit, cujus prior pars, *Supputatio figuralis* dicta, numerationem et calculationes per calculos, ut in veteri Abaco, altera vero, *Supputatio figuralis* vocata, easdem calculationes per numeros arabicos docet : quos supputationum modos, brevibus nitidisque regulis et exemplis potiusquam demonstrationibus illustrat. Respuit item veterum inintelligibiles demonstrationes in suis commentariis. Relicto demonstrationum pondere litteram ipsam exemplari declaratione patefacit et figurabilium descriptionum subjectione eam quoquo pacto reddit apertiorem, praetermisso, ut

1. *Epitome Arithmeticae*, 1503, f° 3.

aiunt, propter quid est, duntaxat quia est, pro more introductionum, ostendens. Caeterum eos qui rationes altiores desiderarent ad *Purbachianam lectionem* a Fr. Capuano explicatam, aut ad *Epithomata in Ptolemaeum* Joannis de Monte-Regio pro Astronomia, ad Boetium et Nemorarium pro Arithmetica remittit.

Ast, sicut Logicam et Grammaticam litterarum splendore et morum honestate decorari volebat, ita mathematicas scientias platonicis, pythagoreis, mysticisque theoriis adornabat. Numeros praesertim sacros esse rerum invisibilium symbola cum Hugone a S. Victore, Raymundo Lullo,[1] Nicolao Cusano, inter veteres, Pico de Mirandula, Reuchlinio, Germano Ganayo, ipsoque Bovillo, inter modernos, affirmabat. Itaque secutus exemplum Raymundi de Sebunde in *Theologia Naturae* et Bovilli qui suam *Rosam Geometricam* ipsi dedicaverat, Clichtoveus in libro *De mystica numerorum significatione*, ad Germ. Ganayum Caturcensem episcopum directo, mysteria in Scripturis numeris affixa ex Patribus explanavit. Ostendit, v. g. numero primo significari Dei unitatem, 2° proximi amorem, 3° Trinitatem tresque virtutes theologales, 4° Evangelistas et 4^{or} Virtutes cardinales, 5° Pentateuchum, et 5^{a} Vulnera Christi, aut 5 hominis sensus, 6° Mundi creationem perfectam, 7° Sabbatum, Spiritum sanctum, rerumque Universalitatem, 8° Resurrectionem aeternamque felicitatem, 9° Angelorum novem choros, etc., etc. : Quidam Antonius Rufus, Gerardi forsan frater, huic operi hos addebat versus :

Hisce, notas sacras et mystica sensa recondi
Sanctorum referunt dogmata prisca Patrum.
Quorum dicta brevi praesens sermone libellus
Colligit et numerus quid notet omnis habet.

Propter quod Fr. Sylvius scriptores ecclesiasticos allegoriarum sacrarum peritos enumerans, dicebat : « In quibus annumerandum censemus Jodocum nostrum Clichtoveum, in philosophicis atque theologicis disciplinis gravissimum; qui *de mystica numerorum significatione* opus gravitate sua non indignum superioribus his annis emisit[8].

1. Auxonii enodatio, Badius, 1516. Praefatio.

CAPUT QUINTUM.

CLICHTOVEUS AD SINCEROS FONTES HUMANIOREMQUE METHODUM SCOLASTICAM THEOLOGIAM CUM FABRO REVOCAT.

At Clichtoveus Theologiae renovandae maxime cum Fabro laboravit. Quibus impetebantur defectibus tunc scientiae theologicae, quam prave colebantur et explicabantur, non nesciebat, Querelas autem suas sic in panegyrico S. Hieronymi exhalabat :

« Caeterum hoc loco miseram nostrae tempestatis sortem paucis deflorare libet, et eorum potissimum qui in sacrarum litterarum agone palaestraque versantur, indolere minus fructuosos labores, quod *praetermisso S. Scripturae studio, neglectis item receptissimis et aliorum divinoloquorum Patrum scriptis,* ad glossemata quaedam minus utilia se transferunt et in illis evolvendis totos dies ac noctes conterunt. Quae ex his hauserunt in congressionibus certatim adducunt, a pietate religionis et synceritate plerumque abhorrent, et ipsos interdum nimia absurditate auditores offendunt. Ut illud ignominiae ascribant et pingui inertique ingenio, si quis inter argumentandum authoritatem ex Scriptura aut Doctore ecclesiastico in suae ratiocinationis fulcimentum adducat. » Quae vehementius repetebat in sermone de S. Thoma Aquinate[1].

Has vituperationes etiam coram discipulis proferebat, praesertim quum de Petro Lombardo agebat : « Sacrosanctae philosophiae veritatem fontemque purissimum, sicuti plus millies a Jacobo Fabro, a Jodoco Clichtoveo, praeceptoribus meis, accepi atque audivi, coeno quaestionum, rivulis opinionum conturbavit », Petrus Lombardus, aiebat postea Aventinus, *Annalium Boiorum* auctor[2].

Caeterum ipsi consentiebant non tantum praecipui ex ejus discipulis, ut etiam Briconnetus, Rhenanus[3] et Hummelbergius, sed et multi Doctores Sorbonici, ut J. Al-

1. *Sermones*, 1550, p. 420.
2. *Annal. Boiorum* libri 7, 1580, p. 508.
3. Rhenanus Zwinglio, 6 déc. 1518.

mainus, et ipse Major qui dicebat : « De Doctoribus pudet loqui : multi enim eorum magis sunt doctrinae vel dictis potius suorum Doctorum addicti quam famatissimis sanctis Patribus pariter ac eruditissimis[1]. »

Omnes ergo tunc temporis Doctores Theologiae[2] ad suos fontes reditum optabant : tentataeque restaurationi per Clichtoveum et Fabrum plaudere parati erant. Ad quam procurandam Clichtoveus utique prae ceteris aptus erat, quippe qui theologiae famam non mediocrem fuerat adeptus, omnesque Theologos fere legerat. Tubingae quidem Theologos, Conradum et Biel, Coloniae autem, Gerardum Elten, Lambertumque Montis, Angliae, Walden, Galliae, Gersonem, aliosque multos citat. Ea erat insuper indole, ut rationabiles utilesque consuetudines prae nimio novitatum amore non frangeret.

Itaque, Theologos ad fontes quos deseruerant, scilicet ad Scripturam Sacram et antiquos Patres revocaturus, primo quidem, ne nimis scolasticos offenderet Doctores, *Joannem Damascenum*, per Fabrum jam anno 1507 latine translatum, commentariis illustravit. Qui, cum esset Scolasticae Theologiae pater merito dictus, et primus doctrinam catholicam aristotelica methodo coadunasset, a Doctoribus gratiosè erat accipiendus. Et quidem, operibus ipsius evulgatis viri litterati prae gaudio plauserunt : Rhenanus etenim, dum 30 julii 1509 Hummelbergio Alcandri fortunas annuntiabat, de bonis gaudebat libris, quibus quotannis ditabatur Universitas Parisiensis, « quae tot jam soeculis carere visa est, non quibus ad amplexandam pietatem inhortarentur, sed qui cultius paulo disciplinas traderent. Verum, sospite Fabro nostro, optime speramus. Hic enim non eas modo disciplinas quas liberales vocant, sed etiam ipsam Theologiam supremam suo candori restituere aggressus est. » Quod de textu Damasceni a Fabro edito dicebat, idem Rhenanus de Commentariis Clichtovei, anno 1512, quum Nyssenum Gregorium ei mittebat, repetebat. « Vellem autem, clare vir, aiebat, ut sicut Damascenum celeberrima Parisiorum Academia jampridem favorabiliter, ita et Nyssenum Damasceno antiquiorem, minime neglectum haberet. Discent hinc studiosi

1. *De varia Aristotelis fortuna*, p. 92.

2. C. Schmidt, *Histoire litt. de l'Alsace*, I, p. 126. Wimphelingius idem de Theologia fere sentiebat, et mysticam cum speculativa et practica jungebat. At magis ignoscebat scolasticis.

multa et scitu dignissima, sine altercatione, sine rixa, de quibus saepenumero in comitiis eruditorum superbius quam utilius disputatur[1]. »

Inchoatum theologicae renovationis opus prosequebatur Clichtoveus, dum, petente Briconneto, Alexandrini Cyrilli *Thesaurum* ex Patribus et Scriptura, sed scolastica methodo, confectum, in lucem edebat. Hunc Patrem ut Theologorum exemplar audacter in Praefatione proponebat: « In hoc authore tanta est, aiebat, disserendi subtilitas et acrimonia, tantum rationum acumen et robur, tam exuberans doctrinae copia, denique tanta convincendi adversarios fidei energia et efficacia, ut ipse exemplum optimo jure proponatur, omnibus qui de rebus sacris divinisque mysteriis disserere debeant: quod intuentes attentius considerent, quomodo ex Scripturis et sanctis eloquiis sua depromenda sint et contexenda ratiocinia, aut ex puro inferiorum scientiarum fonte; neque in re tam ardua futilia agitanda sophismata, captiones inanes aut argutiolae proponendae; quae cum nihil aliud quam vanam pariant multiloquentiam, ab omnibus plane et potissimum sacris disciplinis merito explodi, eliminari et exsibilari debent. »

Nec tantum Theologis Doctoribus veriores aperiebat fontes Clichtoveus, sed simul methodum novam explicandi, evolvendique sacra dogmata, scilicet, elegantiorem humanioremque, tum verbis, tum exemplis, commendabat. Nec tamen, quod plures postea incaute fecerunt, methodum huc usque in scolis usurpatam penitus abolere statuit. E contra ipsius principalia et quidem rationabilia servavit elementa, scilicet, exactas definitiones, lucidas completasque divisiones, solidas demonstrationes, objectionumque validas refutationes, in suis dissertationibus, videlicet, de B. M Virgine, de *necessitate et felicitate peccati Adae,* de Triplici Magdalena, etc., constanter adhibuit. Ast asperitates quaestionum ratiociniorumque styli splendore dissimulat, terminos specialissimos, nisi sint necessarii, formulasque barbaras, delectis propriis elegantibusque vocabulis, excludit: cum facilitate demonstrat, cum claritate et amplitudine refutat, imo et cum sale: non haeret quaestionibus nisi seriis et utilibus: dogmaticas theorias abundanter evolvit: operam denique non tantum Theologorum, sed poetarum et

1. Ex. Basil. 1 Mart. 1512.

quorumcumque litteratorum expostulat, ita ut quidquid scribit, politissime scribat : non solummodo docere intendit, sed placere et movere. Vere, ut ait Cassaneus, « Fabri Stapulensis incude expolita jam pure loqui discit Philosophia, et Clichtovei casto sermone Theologia melle dulcius concionatur. » Uno verbo, Theologiam simul ad suos puriores reducit fontes, et humanioribus litteris reconciliat : critica simul et aesthetica vere est quam Clichtoveus intendit restauratio : quod clarius ex dicendis adhuc patebit.

CAPUT SEXTUM.

CLICHTOVEUS PRAE THEOLOGIA SCOLASTICA, E PATRIBUS SCRIPTURAQUE THEOLOGIAM DEDUCTAM FOVET.

Nec quidem Clichtoveo Fabroque satis erat si Theologi Damascenum Cyrillumque adirent, nisi usque ad fontes primarios, antiquiores scilicet et scriptoribus sacris viciniores et affiniores, paulatim ascenderent : ex his enim tantum haurienda erat pulcherrima simul et sincera, id est nullo rivulo commixta, Theologia : in his quoque, quibus addebat mysticos intuitivosque auctores, purissimum et sine macula splendissimum invenire erat Dei verbum.

Itaque, curantibus Fabri Clichtoveique discipulis et amicis, nonnulli Patres antiqui sunt editi, scilicet Origenes a Merlino, Cyprianus a Roberto Fortunato, Hilarius et Basilius a Badio et Budaeo. Faber vero mysticis praesertim incubuit, quasi propius et nitidius verbum divinum haberent, Raymundumque Lullum, Ruysbroeck, Heraclidis *Paradisum*, Mercurium Trismegistum, *Librum trium virorum, Contemplationes idiotae,* Ricardum a S° Victore, Riccoldum *contra Mahumetanos*, sed praesertim Nicolaum Cusanum, Dionysiumque Areopagitam edidit. Fabrum pro suis quisque viribus juvabant, Bovillus in operibus Lullii mathematicis, Camperius in *Trismegisto,* Briconnetus in *Contemplationibus idiotae*, Clichtoveus vero in libris Dionysii Areopagitae auctoribusque fere apostolicis explanandis. Hic quidem non recentiores negligebat Patres, cum multa ex Augustino, ex Hieronymi epistolis, et ex Gregorii *Moralibus,* in Codice Mazarinaeo excerpserit, cum etiam quatuor Cyrilli libros *in*

Joannem amissos ex pluribus Patribus praesertimque ex Ambrosio, Chrysostomo et Augustino mira arte suppleverit. Sed, ad Dionysium Areopagitam et ad scriptores apostolicos, Ignatium, Polycarpum, etc., libentius ascendebat. Quod quidem Hier. Papiensem non mediocriter attonitum faciebat; vix enim intelligere poterat, quomodo Faber qui totus primo visus fuerat aristotelicus, deinde totus fere platonicus evaserat. Qui certe ad auctores platonicos simul et apostolicos omnibus praeferendos eo fuerat adductus, quod in istis tum pulchriorem sanctioremque quam affectabat doctrinam tum immediatos divini verbi fontes inveniebat.

Iisdem rationibus, scilicet prout viri litterati simul et critici mores gerebat, Clichtoveus iisdem auctoribus adhaesit: et quod de Fabro ipsi Clichtoveo referebat Hier. Papiensis, hoc de Clichtoveo ipso dicendum erat: « Sic utrique philosophorum est addictus ut neque platonicus neque aristotelicus appellari gaudeat, sed apostolicus totus fideique synistes totus exundat in doctrina sacra, totusque raptatur ad Dionysii ipsius ambrosiam, ad sacros illius nectaris fontes, necnon ad Hierothei divinos amores. » Synthesim ergo quamdam faciebat uterque aristotelicae et platonicae doctrinae in uno eodemque Dionysio, tum quia splendidius, tum quia sincerius verbum Dei, ex Apostolo Paulo haustum, tradebat. Ipsum enim divi Pauli discipulum ejusque opera authentica credebant: « Inter eos, aiebat Clichtoveus, qui, post sanctorum eloquiorum scriptores, coelestia nobis mysteria, litterarum adminiculo tradiderunt, divinus pater Dionysius Areopagita cum primis annumerandus est, a beatissimo quidem Paulo verae fidei sacramenta edoctus, et acceptum supernae lucis jubar, clarissimo radiorum jactu, per librorum suorum pia monumenta, in posteros transfundens ». Et infra: « Quis autem addubitaverit sacratissima beati Patris verba sermones esse Dei et in ipsis praecepta vitae contineri ». Diu quidem haesitaverat priusquam ipsius commentaria aggrederetur: « Cum frequentius fuissem reluctatus, ait, michi nimirum conscius quam tantae moli ferendae essem longe impar, improbae tamen illorum importunitati sed sanctae et piae, tandem manus victas dedi moremque gessi. » Obnixe cupiebat ut sua commentaria ad Sancti Antistitis opera melius intelligenda praestarent adjumentum, et ad Dei amorem cultumque pios legentium animos promoverent. In fine tandem precabatur

indulgentiam : « Effeci quale facere solet, qui preciosam gemmam luto obsitam offendit, quam non satis a se cognitam illico docto artifici (ut eam sedulo detergat, perpoliat, suumque solitum inducat reparetque nitorem) praesentat. Ita et vobis, ô Parisienses, has litterarias opes praesento, ut vos illustrent, et per eas alios uberius... purgetis, illuminetis atque perficiatis, suumque illis nitorem restituatis ». Post haec Dionysii opera, in eodem volumine includebantur *Epistolae* quaedam, vel Dionysii, vel Ignatii, sed apocryphae. Ipse Clichtoveus *Epistolas apostolicorum virorum*, videlicet, Martialis, Polycarpi, Antonii, apocryphas quidem, sed quas autumabat authenticas, anno 1512, in lucem emisit.

Cum tam ardenter ipsum Dei verbum prosequerentur Faber et Clichtoveus, ut primarium, certius, nitidiusque Theologiae fundamentum, non multum in auctoribus ecclesiasticis erant immoraturi. Sed mox ipsos inspiratos scriptores attingere cupiebant. Itaque Faber anno 1508, *Psalterium Quincuplex*, et anno 1512 *Commentaria in Epistolas divi Pauli*, quae magnam excitavere controversiam, evulgavit.

Clichtoveus item in *oratione S. Bernardi laudatoria* studentes exemplo istius Doctoris ad praeferendas humanis Doctoribus Scripturas hortabatur : « Quo uno illorum sane damnavit supercilium et fastidiosum animum, qui Sacram Scripturam velut incultam exhorrescunt, eam legere fastidiunt et dedignantur, ut aut facilem nimium aut obscuram. Authorum vero non usquequaque probatorum expositionibus, quaestionibus, et argutiis immorantur diutius : in illorum commentariis noctes diesque versantur, illos solos evolvunt, ex quibus aut vix unquam aut non adeo compendiaria via ad veritatis agnitionem perveniant. » ·

At inter sacros scriptores, non aliter ac Faber et Briconnetus, Clichtoveus Joannem Paulumque praeferebat, quippe qui frequentiorem moralibus et allegoricis explicationibus occasionem praebebant et a Dionysio vocitari, hic : *Evangelii sol;* ille : *sol eximius,* fuerant meriti : « Verba enim ipsa, de Paulo scribebat, spirant ardentissimas divinae dilectionis flammas quibus sacriloqui Pauli pectus totum estuabat ». Ad eas legendas, 1508 et 1514, scolares hortabatur : « Persuadete vobis nullum litterarum studium post evangelica dogmata utilius ac sacratius a quoque exerceri posse, neque Attalicas et Cresi opes his spiritualibus divitiis conferendas esse ».

Nec satis: ut juvaret legentes, Clichtoveus *Commentaria* tum a se tum a probatis auctoribus condita evulgavit.

Non illa quidem elegit, quae ut *Postillae* Nicolai Lirensis aut Pauli Burgensis nec styli nitore nec optimorum Doctorum sententiis eminebant, sed potius ea Patrum opera, in quibus tum elegantias styli, tum exquisitas auctoritates, tum maxime sensuum mysticorum notitiam, ex Scriptura ipsa non ex hominibus acquisitam, deprehendebat. Quapropter Hugonis a S° Victore Cyrillique Alexandrini tractatus, Hugonis quoque *Allegorias in utrumque Testamentum*, Cyrilli vero *Commentaria* in Joannem, an. 1508, in Leviticum, anno 1514 edidit. Ipse tandem 4^{or} libros *Commentariorum Cyrilli* in Joannem deficientes, ex Augustino et Chrysostomo, sed potius ex Scripturis, eleganter et erudite supplevit.

CAPUT SEPTIMUM.

CLICHTOVEUS TEXTUS SACROS ET LITURGICOS CRITICAE REGULIS SUBJICIT.

Hinc omnes fere auctoritates a Clichtoveo admissae reducebantur ad Scripturam Sacram, et cum non interpretabatur Scripturam per Patres et Doctores, seu per Traditionem, sed per seipsum, saltem in quaestionibus non definitis, ideo praeter Scripturam nullum aliud habebat criterium, nisi rationem.

Scriptura ergo sincera habenda erat : et recurrendum esse dicebat ad textum genuinum. Hinc oriebatur necessitas inveniendi antiquiores et melioris notae codices : imo istis codicibus inventis, quid significaret textus, juxta regulas criticae, erat inquirendum.

Jus conferendi textus primitivos Bibliae, Clichtoveus in apologia quam pro Fabro, qui Epistolarum Pauli textum usitatum correxerat[1], composuit, non sine quadam audacia vindicavit. « Standum est, ait de conjugio Pauli, potius graecis libris quam latinis, quod illi vetustiores sunt et originales. Non enim graeci libri ex latinis desumpti sunt, sed e diverso latini ex graecis : latini idcirco secundum graecos castigandi sunt, non autem graeci secundum latinos... Est

1. Codice 912, f° 229.

ergo frivola ratio quae latinos codices objicit atque opponit graecis[1]. »

Posito autem et intellecto per seipsum sincero textu Scripturarum, Clichtoveus putabat parum ad auctoritates esse attendendum, si contrarium affirmabant, etiamsi forent ex Cyrillo aut Ambrosio, ex Bonaventura vel Thoma Aquinate depromptae : « Magni certe facienda est, ait, amborum insignium scriptorum jam dictorum auctoritas, ubi rationi solidaeque probationi est innixa et eo munita robore. Quando simpliciter et nude aliquid enunciant, tantum ipsis deferendum est quantum recta sinit ratio et efficax probatio. Neque ipse in Thomae aut Bonaventurae verba juravi, ut quaecumque ipsi dixerint, ea protinus ut oracula aut sacra eloquia recipere debeam, rejecta prorsus omni ratione nitente in contrarium[2]. »

Patres igitur et commentaria non sequebatur propter propriam auctoritatem, sed propter eorum cum ratione et Scriptura conformitatem. Animadvertebat alios Patres ab aliis Patribus dissensisse, et Hieronymum saepe saepius novas intulisse sententias. Nec gravius pondus textibus liturgicis, veteribus consuetudinibus, vulgarique fidei assignabat. Haec non aestimabatur, quasi propria vi gauderent, sed prout concordabant cum ratione et Scriptura.

In controversia de duobus versiculis ab ipso in *Exultet* suppressis, primo quidem affirmat ipsos non habere sensum rationi conformem, siquidem nullomodo potest esse aut necessaria aut felix Adae culpa. Addit istos versiculos non inveniri in omnibus codicibus et in quibusdam deesse. Eis qui eum de codicum mutilatione arguunt, respondet indignatus in *Elucidatorio :* « Qui haec suo comminiscuntur ingenio, ante plagam coeli eoam occiduae conjungent, borcumque polum reddent austrino conterminum, quando vel unum dederint librum hac in parte, ut insimulant, me authore mutilatum. Et si quem talem exhibere codicem aut reperire studeant, summis in montibus algas et mediis in fluctibus

1. Rich. Simon. *Bibl. critic.* IV, litt. 20, 21, ostendit jam plures fuisse, v. g. Picum de Mirandula, Reuchlinium, Trithemium qui ad haebraicos vel graecos fontes ascenderint. — Lelong. *Discours historique sur les principales éditions des Bibles Polyglottes.* 1713, p. 12, refert quanta laetitia Ximenes Collationes Bibliae in originalibus acceperit. — Erasmus dicebat 21 aug. 1516, suam editionem N. T. approbatam fuisse ab episcopo Basileensi, Capitone, Gr. Reyschio, Bero, Wimphelingio, Fishero, Roffensi episcopo.

2. *De necessitate peccati Adae*, f° 44.

aequoris herbas queritabunt[1]. » Objiciunt praxim Ecclesiae quae hos cantat versiculos. Respondet allegando Ecclesias in quibus non cantantur. Insuper, contendit Ecclesiam in liturgia aliquid falsum admittere posse hypothetice, scilicet donec falsitas arguatur. Nec haeret longo usui ecclesiastico, quia tempus illud quod est contra veritatem firmare non potest: nec ipsi fidei populorum attendit: quia saepe est indiscreta approbatque vituperanda.

Haud aliter procedit in controversia Trium Magdalenarum. Standum esse contendit Evangelio per seipsum et per rationem explicato, nec attendendum Patribus, liturgiae, vulgi opinionibus aut Ecclesiarum particularium. Utique Patres post Gregorium unicam Magdalenam asserunt, sed ante Gregorium triplicem colebant: alii aliis contradicunt, et de iis parum curandum, aut si de aliquibus habenda sit ratio, potissimum de antiquioribus habeatur. Caeterum Gregorius ipse pluries in errorem incidit. Liturgia tantum valet, quantum ipsius auctor; plures esse mediocres liturgiae auctores etiam Ecclesia confessa fuit, quum in concilio Lateranensi Cardinales commiserit ad liturgiae reformationem: et quidem episcopi ipsam corrigendo optime nunc agerent. Popularis autem fides indiscreta est et praedicatorum affirmationibus solummodo nititur. Ecclesiarum certe particularium veneranda est auctoritas sed non cogit assensum: nec enim sunt omnino credendae quum suarum reliquiarum authenticitatem pronuntiant. Nec tota fallitur Ecclesia, si textus quidam liturgicus declaretur falsus: cum hujusmodi textui non nisi in hypothesi quod sit verus adhaereat; nec timendum esse vult ne detrimentum capiant aut fides aut devotio populorum ex falsitate in liturgicis textibus deprehensa; fides enim et devotio potius veritate gaudent.

Caeterum Clichtoveus tradidit regulas tum practicas, tum criticas, quas sequi debet quicumque rerum veritatem inquirit.

Tria primum sibi ipsi proponenda sunt: scilicet, primo, quaestionem liberam et non de fide definitam arripiat: secundo, ipsam quidem disserendo non definiendo discutiat: tertio tandem, protestetur se nihil velle in ritibus aut improbare aut mutare, et subjici omnino judicio quod ferent Ecclesia virique eruditi.

1. *Elucidatorium*, p. 564.

Dein has octo criticas regulas observet, quas de verbo ad verbum Clichtoveus in controversia Magdalenorum posuit. Observat enim in hac quaestione :

1° Materiam de Maria sorore Marthae, etc... ad historiam pertinere non ad fidem.

2° In iis quae spectant ad historiam, maxime iis attendendum esse qui eo tempore scripserunt quo res gestae fuere.

3° Post hoc magis eorum scriptis standum esse qui rerum gestarum temporibus viciniores fuerunt.

4° Ex iis qui postremo loco scripsere, potius fidem iis adhibendam esse qui cum ratione scripsere quam qui nude atque simpliciter, easque rationes potiores esse quae rite ex Evangelio desumuntur aut ejus concordiae magis conspirant quam quae secus.

5° In propriis reique accommodatis locis, scriptorum sententias plus roboris habere quam extra materiae subjectae propositum.

6° Si qui in scriptis suis, eisdem de rebus interdum varia et sibi ipsis quodammodo contraria sentiant, dictum eorum quod magis rationi et antiquioribus concordat, validius esse, alterum autem invalidius.

7° Apocrypha et quae sunt incerti authoris, contra rationem et majorum scripta, nullum habere momentum, itidem nec consuetudinem his introductam.

8° Ecclesiam non prohibere in dubiis disceptando inquirere veritatem, neque usum ecclesiae ab iis offendi, qui sic disceptantes eum tollere nolunt, sed observare et volunt et protestantur, quandiu ecclesia in eo usu fuerit [1].

Hae regulae criticæ quidem videntur et probandae; attamen sive a Beda, sive a J. Fisher fuerunt refutatae, utpote parum testimoniis faventes, et nimiam libertatem concedentes.

Pauci tunc erant qui liberam hanc et criticam in rebus ecclesiasticis dubiis investigationem probabant, dolebatque Clichtoveus viros qui textus aut restituere aut intelligere quaerebant, a multitudine traditionibus infixa male suscipi : « Tametsi, aiebat, commendatione prosequendi potius censeantur quam inimice insectandi, qui pro viribus elaborant illa castigatiora et emendatiora reddere quae in concinendis

1. *Defensio*... f. 95 v°.

divinis laudibus minus pia et religiosa videntur, nostra tamen tempestate contra accidit ut talia sincero affectu attentantes incessentur probris et die dicto in judicium pertrahantur, vocenturque in jus, tanquam infandi criminis rei, usque adeo inveterato et longo jam usu imbibita omnibus placent, et quibus altius insederunt animi vix possunt avelli ». Sed cum haec scribebat (1519) jam agebatur de Lutheri doctrinis.

CAPUT OCTAVUM.

CLICHTOVEUS HISTORIAE STUDIUM LAUDAT.

Ex his criticae regulis ad historiam spectantibus nobis datur occasio investigandi, quali studio et quali etiam profectu scientiam historicam Clichtoveus coluerit.

Utrique equidem, profanae scilicet et sacrae, non mediocriter studuit. In praefatione cujusdam abbreviationis historiae sacrae quam in Codice Bibl. nat. 525 inseruit, magnum delineavit historiae elogium, quae viros heroicos quoad tempus et loca facit immortales, et, cum sit vitae speculum, ad virtutes impellit, a vitiis deterret, in agendis dirigit, vires juventuti, solatia senectuti praebet. Sublimiorem vero Sacram praedicabat Historiam, quae, cum sit a Deo inspirata, non tantum facta aut exempla, sed sensus allegoricos, tropologicos et anagogicos continet. Ipsam fere totam, exceptis quatuor libris, ad usum Guillardi, abbreviaverat. Ex historiis profanis multa etiam decerpserat, sive exempla, sive adagia, quae tum in commentariis ad libros Ethicorum et Moralium Aristotelis, tum in operibus *De laude monasticae religionis*, aut *De bello et pace*, sive etiam in sermonibus ubique sparserat. Insuper vidimus ipsum aut Sanctorum Vitas, et Elogia : v. g. Nicolai Myrensis, Petri Celestini, Laurentii Justiniani, aut sermones de diversis Ordinibus historicos, ex diversis fontibus in suo Codice diario scripsisse.

Historiam igitur primo coluit ad modum litteratorum virorum, scilicet ut fontem ex quo tum exempla, tum sententias quibus scripta exornaret, aut mores effingeret, incessanter hauriebat : eam quoque coluit, ut vidimus, adhibitis regulis criticae. Non quaelibet admisit testimonia, imo plu-

ries, coaetaneos, ne priscis omnino fiderent, monuit; nec timuit ipse saepius antiquis auctoribus contradicere. Attamen aliter se habuit ante Lutheri condemnationem ac postea, ut melius ex dicendis infra constabit. Non eadem libertate et audacia de rebus tractavit historicis.

Hinc plures commisit errores: v. g. non aliter ac plerique suorum coaetaneorum Trojanae Francorum origini adhaesit: aliquandiu veros operum auctores non agnovit. Post Bebelium quem saepius in *Elucidatorio* in designandis auctoribus est secutus, Hugoni a S. Victore plures tractatus tribuit, quos Hugo de Folieto merito vindicat. Authenticas esse credidit Epistolas Senecae ad Paulum et Pauli ad Senecam, etiam S. Ignatii Antiochensis, S. Irenaei, S. Polycarpi, imo et S. Martialis Lemovicensis: istius imo epistolam e coelo lapsam non dubitavit. Nec etiam negavit Dionysium Parisiensem episcopum esse eumdem ac Areopagitam, ipsique attribuenda esse opera quae sub ejus nomine feruntur: quin etiam horum operum authenticitatem, non obstantibus validis argumentis quibus Laur. Valla, Erasmus, eam exploserant, cum Briconneto, Fabro, mysticaeque indolis Doctoribus, tenaciter admisit: caeterum ipsa Facultas theologica Lutherum, quia hanc authenticitatem negabat, annis 1521 et 1527, condemnavit. Nec satis mirandum est quam infirma sint argumenta quae contra Laur. Vallam et Erasmum collegit, in dissertatione quadam anno 1517 manuscripta[1] et tandem anno 1523 *in Antiluthero* typis vulgata, de eorumdem operum Areopagitae legitima attributione. Auctoritates siquidem extrinsecus ex apocryphis epistolis S. Dionysii, S. Polycarpi et S. Ignatii desumit: rationem vero intrinsecam nullam aliam profert, nisi quod istorum operum auctor semetipsum divi Pauli discipulum affirmat; objicientibus autem haec opera non ante S. Joannem Damascenum fuisse cognita, nec ab Hieronymo et Eusebio fuisse designata, respondet ipsa tunc temporis fuisse abscondita, Gregorii Magni vero de auctoris nomine silentium nihil probare, cum nihil unquam valeat argumentum quod dicitur negativum. Coeremonias autem ecclesiasticas in his operibus praecise et minutatim descriptas asserit magis in favorem authenticitatis quam in ejus detrimentum cedere.

Nec plus valet illa dissertatio qua Dionysium Atheniensem

1. Cod. Maz. 912, f° 277 v°.

Lutetiam venisse contendit. Ex concordia talis adventus cum chronologia, traditione, scripturis, ipsum concludit esse verum, dum tantummodo remanet possibilis. His argumentis caetera, quum *Antilutherum* edidit, anno 1523, adjunxit, scilicet Dionysium Areopagitam Dagoberto regi visum fuisse, ejusque reliquias in abbatia Sancti Dionysii conservari: quae quidem argumenta in Codice Mazarineo non attulerat, quia nec ipsa tunc, anno inquam 1517, vi quadam pollere autumabat: postea tamen, Luthero condemnato, iisdem quemdam valorem non negavit; quare sententiam sic mutaverit, inferius explicabimus[1].

CAPUT NONUM.

CLICHTOVEUS PRAEDICATIONIS FORMAM SUIS SERMONIBUS RENOVAT

Hucusque Clichtoveum grammaticalium, physicarum, philosophicarum, sacrarum, historicarumque disciplinarum cum Fabro reformatorem juxta regulas litterarum et rationis sumus secuti; nunc illum praedicantem, concionatoriamque artem multis excessibus tunc foedatam suis sermonibus renovantem, aspiciamus.

Non minimam quidem in praedicando gloriam est adeptus. Anno 1506 à Petro des Groux *Cicero theosophus* vocabatur, a multis sive in collegiis, sive in monasteriis, sive in paroeciis ad concionandum invitabatur; Tornaci, dum parochi munus impleret, dominicis festisque diebus ad populum habebat sermonem. Commissum ei fuit munus *Caesarii Arelatensis sermones* edendi nec non praefatiunculam S. Bernardi sermonibus praemittendi. Ipse tandem Lassereo petenti, ad utilitatem clericorum, suorum sermonum evulgationem permisit; qui postea multoties et in multis regioni-

1. Non mediocris esse auctoritatis in *Elucidatorio* Clichtoveum affirmant recentiores. De hymnis Adae de S° Victore scribens, Felix Clement illum dicit: seul auteur qui fasse autorité dans tout ce qui concerne ce poète puisqu'il a publié ses œuvres en 1515 d'après les manuscrits mêmes de l'abbaye de Saint-Victor». *Carmina e poetis christianis*, 1880, p. 497. — Attamen L. Gautier, in recenti editione *Hymnorum Adae de S° Victore* Clichtoveum de multis mendis arguit.

bus denuo fuerunt impressi, imo et in germanico idiomate translati. Septem voluminibus, ut ipse scribit, continebantur, et sic ab ipso dividebantur : 8 super Orationem Dominicam, 1 super Orat. Angelicam, 12 super 12 articulos fidei, 10 super Decalogum, 8 super Septem Sacramenta, 100 et plures de diebus dominicis et festis, 50 circa de B. M. Virgine et Sanctis, 7 de variis rebus. Quibus addendi erant 32 alii coram scolaribus, monachis, presbyteris, Doctoribus, in synodis aut occasione Patronorum pronuntiatis. Qui fere omnes latino quidem idiomate fuere scripti et impressi, sed vernacula lingua prolati, quum de quibusdam tantum animadvertatur ipsos fuisse ut scriptos ita et latine prolatos. Unde confirmantur asserentes soeculi XVI praedicatores ad populum vernacula lingua fuisse locutos, etsi latina scriberent.

Hoc in genere, litterarum Clichtoveus non est oblitus, caeterorumque multorum vestigiis neglectis, eadem claritate, elegantia, et gravitate praedicavit qua scripsit. « Multos quidem et magnos in eo genere scriptores habemus, dicebat Lassereus, sed qui rem propositam pertractet majori luce et facilitate, qui digerat materiam ordinatius, qui sacras litteras interpretetur accommodatius, neminem quidem esse puto[1]. »

Et revera hujus saeculi famosi praedicatores, ut Maillartius, Menotius, Raulinus, cum impetu quidem, sed indiscrete, insulse, inordinate, declamabant. Monachi praesertim trivialibus invectivis in concionando delectabantur, et magis reformatores orthodoxos bonaeque fidei quam heterodoxos impetebant. Ignari furentesque, quosque viderint novas quaestiones agitantes, ut haereticos notabant : aut in cathedris Doctorum disputationes scolarumque terminos transferebant, aut etiam sublimiores aequo theorias ampullataque verba affectabant. « Quo nunc verborum tonitruo et fulmine ferienda venit, aiebat Clichtoveus, illorum impudentia qui... gloriam

1. Launoius, *Opera*, I, 119, *De frequentis Confessionis et Communionis usu*, citato sermone Clichtovei : « Sic universos homines ad frequentem confessionem et communionem hortatur ille vir, habitus a cunctis optimus, antiquis Ecclesiarum magistris simillimus, omnibus ingenii studiorumque dotibus eminentissimus temporis sui, qui poene nihil in vita nisi laudandum aut fecit, aut scripsit, aut sensit. — Porro librum *Sermonum* Clichtovei ex parte Fac. Th. probarunt 4^{or} Doctores meritissimi, Stephanus Loretus, Joan. Gillainus, Guil. Villerius et Alanus Guefferus, qui librum probando suum fecerunt et memoratam de frequenti confessione et communione doctrinam vindicarunt. »

ab auditoribus et laudem aucupari laborant, dum scioli videri volunt et propriam ostentare doctrinam. Alta et profunda populo proponentes mysteria quae auditorum excedunt captum... inflatis buccis sesquipedalia trutinant verba. Et ardua atque sublimia quasi in tertium cum Paulo rapti fuissent coelum et audissent arcana Dei quae effari non liceret, discutientes... Alii vero, nisi theologicam quaestionem rationibus in utramque partem adductis proponunt, quae scolasticam efflagitant palaestram, non se putant rectum sermonis fecisse exordium, qui nec temporis, nec loci, nec auditoris rationem habentes, proponunt populo prorsus ratiocinationum ignaro quae in gymnasio disceptatoris exercitatione essent dissolvenda... Facessant haec, obsecro, et valeant aucupatores popularis aurae[1]. »

Clichtoveus e contra simplicitati elegantiam doctrinamque moribus utilem sociavit. Rhetoricae regulas de exordio, divisione generali, partibusque orationis tribus tripliciter saepe divisis, et brevi peroratione non respuit : quin etiam ipsas aliquandiu, praesertim in concionibus quarum solum fere conspectum habemus, rigidius aequo videtur observasse. In caeteris vero quae integrae leguntur ordinate simul et eleganter procedit. Coram populis Sacras Scripturas semper commentatur, coram doctis subtiliores quidem Scripturae sensus explanat, poetasque sacros vel profanos in medium libenter adducit. Ex his nunc versiculos, (75 olim excerpsit) nunc exempla, nunc sententias, quasi ornamenta collegit. Ad corrigenda vitia, acutas quasdam morum hominumque, quibus intentos faciat animos, delineat picturas. Sic pingit istos scolares qui cum ad scolas pii et innocentes venerint ad sua redeunt corrupti, vel qui sole jam orto e lecto exurgunt, vel prandia lauta quaeritant, vel in triviis nova curiosaque venantur. Presbyteros etiam saeculares pathetice interpellat, qui ludorum sunt amatores, inter officia divina confabulantur, cum laicis familiariter agunt, intemperantiaeque indulgent. Objurgat item istos parentes qui pueros molliter educant, ususque superstitiosos, praesertim in nocte Nativitatis assuetos, reprehendit.

Haec quidem Clichtoveum supra suos coaetaneos in praedicando extollunt. Longe tamen abest quin fuerit magnae vir eloquentiae. Ipse enim testatur se non nisi debili

1. *Sermones*, 1550.

quadam actione, voce etiam injucunda parumque sonora donatum fuisse, nec nisi mediocriter aut vivos ingenii colores aut ferventes animi motus adhibuisse. Orator erat academicus potius quam popularis. Nec mirum : tunc enim excedebant praedicatores, ut diximus, gestibus, motibus trivialibusque vocibus. Itaque Clichtoveo, ut eos ad saniorem et litteris digniorem methodum revocaret, affectanda erat elegantia cum sobrietate et gravitate. Nec quidem frustra : cum multoties et in extraneo idiomate sermones ipsius, quasi optimae eloquentiae specimina, fuerint evulgati[1].

CAPUT DECIMUM.

CLICHTOVEUS MONACHORUM, PRESBYTERORUM, NOBILIUM PRINCIPUMQUE REFORMATIONI INDULGET.

Sicut litterarum renovationi, ita et morum reformationi, non tantum in plebe christiana, sed etiam apud monachos, presbyteros, nobiles et principes, Clichtoveus indulgebat. In quo quidem opere, sacerdotis christiani simul et litterati viri, morem gerebat.

Occasionem de monastica religione tractandi sumpserat, tum ex Briconneto qui S. Germani de Pratis abbatiam instaurandam susceperat, tum ex Ambasianis quorum unus, Cardinalis scilicet, an. 1501, a S. Pontifice reformationis monachalis provinciam acceperat, alter autem, Dionysius inquam, Cluniacum cum Ph. Bourgoing priore renovare inceperat, tum etiam ex suo discipulo Godefrido, Ambasianorum nepote, qui Cluniaci monachus factus est, tum denique ex diversis Parisiensibus monasteriis in quae ad praedicandum fuit advocatus. Nec tantum sermones apud religiosos habuit, sed etiam pro Lirinensibus Caesarii Arelatensis, pro Cluniacensibus Hugonis a S. Victore, Guillelmique Parisiensis, varia edidit opera. Imo, dum apud Cluniacenses degebat cum discipulo, complevit evulgavitque, duobus exceptis capitibus adhuc ineditis, librum *De laude monasticae religionis*.

1. Schmidt. *Précis de l'Histoire de l'Eglise d'Occident*, p. 377, de sermonum collectionibus antiquis, scilicet de Barletta, Geiler, Maillard, Mendt, Raulin. — Labitte, *Prédication en France*, aux xve et xvie siècles. Paris, 1866, p. 23, 26.

His in operibus Clichtoveus abusus quidem vitam religiosam foedantes designat, ipsorumque emendationem, per hierarchiae regularumque restaurationem, nullomodo per totalem suppressionem, invocat. Evangelicae simul perfectionis ideam perfecte delineat.

Audacter in *Panegyrico S. Martini* religiosis exprobrat in ecclesiis levitatem, vini nimiam potationem, mulierum frequentationem. Cluniacenses sic alloquitur: « Omnis vitiorum eluvies et sentina coepit effrenatissimo agmine totum hunc sacratissimum ordinem obruere atque labefactare... Ubinam vera et integra in religione castitas ? ubi mentis et corporis puritas ? Potissimum apud eos qui non solum corpore sed et animo in saeculo versantur, obvios habent assidue mulierum aspectus, (de irreformatis loquor). » Eisdem paupertatis consilium revocans : « Thezaurizant, exclamat, » et quasi raptum pauperibus quod sibi servant eis exprobrat. Carmelitas item monet ne candore vestis et antiquorum scientia sint contenti, exemploque majorum « graves lapsus et morum enormitates » emendare obsecrat.

Nec tamen Clichtoveus res veritate pejores fingit, quin etiam agnoscit multos ex reformatis jam sanctius vivere, et quosdam priores, v. g. Cluniacensem, multos jam abusus extirpasse. Has autem reformationes non esse nisi particulares animadvertit, nec satis adhuc impletam religiosae vitae ideam, quam in libro *De laude monasticae religionis,* ex Evangelio describit. Hanc consistere in abnegatione propria, totalique, per observationem trium consiliorum, Deo adhaesione affirmat: vult eamdem obtineri tum omnimoda paupertate, ne minimo quidem permisso peculio, tum etiam studiorum zelo. Quapropter, quibusdam monasteriorum reformatoribus adversatur, qui studia utpote vitae regulari contraria, fere proscribebant, propositoque Patrum, Origenis, Cypriani, Tertulliani, Hieronymi, Sulpitii Severi exemplo, quamdam utilium monachis librorum seriem indicat, in qua Augustini *Meditationes, Confessiones, Enchiridion,* Bernardi quoque et Raymundi Lullii opera, Bonaventurae *Stimulus* et *Itinerarium*, Gersonis libri, Heraclidis *Paradisus*, Cassiani *Collationes* designantur.

Saecularium autem presbyterorum reformationi, non tantum concionibus sed etiam scriptis laboravit. In synodis quidem nimio fere zelo sacerdotibus multa exprobrabat: illos scilicet suas oves tondere, otia ludis impendere, intempe-

ranter cum laicis vivere; ipsisque Dei vindictam, nisi resipiscerent, minabatur[1]. Eadem quoque in opere *De vita et moribus sacerdotum* objiciebat, additis tamen consiliis opportunisque remediis. Postquam enim in priori parte sacerdotum dignitatem, collatos ipsis honores, concessasque a Deo facultates, more docti, eruditi, litteratique viri, descripserat, in posteriori parte, presbyterorum officia, clare, ordinate, et abundanter explanabat, dicens scilicet, missam esse rite praeparandam, Breviarum attente ac devote recitandum, avaritiam (quae in summum fere nunc excrevit) fugiendam, colendamque sobrietatem, nedum ad bibendum se provocarent, mensisque laicorum accumberent. Ipsos autem maxime monebat, ne ludis casualibus qui mali sunt et ad restituendum obligant, aut coeteris operibus quae mera sint temporis jactura, negotium darent, sed potius Scripturarum aut Commentariorum aut Decretorum studio vacarent. Demum in quinque capitulis continentiam asserebat contra illos qui in dubium ducebant, num fornicatio esset grave peccatum, num quaelibet hujuscemodi culpa sacerdotale votum infringeret, eamdemque virtutem in pathetica peroratione commendabat. De voto sacerdotali, jam in amisso quodam Codice tractaverat, et Georgio Civi ipsum de *Castigatorio... sacerdotum concubinariorum* consulenti responderat : « Tuto potest, meo quidem judicio, illum quibusve legendum communicare... ut tandem ejus adminiculo extirpetur tantum nefas quod longe lateque serpit in domo Domini. Praestet ipse Deus sua bonitate gratiam pastoribus ecclesiae, qua tam grande malum exstirpent agro ecclesiae[2]. » Rursus praecipuum contra vitia remedium asserebat esse scientiarum ecclesiasticarum studium.

Praetera, sicut Aeneas Silvius, Budaeus, Erasmus, Wimphelingius qui de Principum regumque *institutione* scripserunt, Clichtoveus ipse, ad usum nobilium et principum, non tantum *Commentaria in libros Politicos Aristotelis,* sed tractatus *De vera nobilitate*[3], *De regis officio, De bello*

1. Sermones ad sacerdotes, 632-670.
2. Cod. Maz., 912, f° 233 v°.
3. D. Liron. *Singularités historiques et littéraires*, III, 53-58. — Jam anno 1505 Gauf. Boussard *de continentia sacerdotum* scribens quaesierat an S. Pontifex posset sacerdoti licentiam mulierem ducendi concedere. J. Major, in 4 sent., dist. 2, 24 quaestione, asserit quaestionem fuisse agitatam in S. Fac. Theol. Parisiensi; hanc tractavit Clichtoveus in *Propugnaculo*, II, c. 13.

et pace, composuit. Quae quidem opera omne punctum ferrent, si ampliores tum politicis officiis tum diversis hujus saeculi eventibus partes tribuerent, nedum consiliis moralibus testimoniisque ex sacra profanave historia deductis abundarent. Notandum est opus *De bello et pace*, quod, dum pacem laudat bellumque deplorat, eloquentia plenum est. De nobilitate sanguinis quam perficere debet nobilitas virtutis, optime disserit Clichtoveus, nobilium que virorum virtutes appetendas, fugienda vitia pulchre describit. Adsit eis primo pietas sedulum Deo cultum exhibens, et in frequentatione templorum auditioneque officiorum divinorum assiduum obsequium : illis irridet Clichtoveus qui, templa raro adeunt, ibique confabulantur, eunt redeuntque, unumque genu cui quoddam supponunt linteum flectunt. Fugiant « animi fastum et timidam aliorum despicientiam ». Abstineant etiam ab injusta rapina serventque in omnes justitiam, memores adagii : bona injuste conquisita vix bene ad tertium haeredem transire. Nec indulgeant irae, quae, cum arguat intellectus imbecillitatem, bestiis similes efficit, et graves trahit consequentias, quarum non minima est blasphemia, cujus tunc temporis nobiles rei saepius erant. Prescribit etiam fugiendos esse ludos fortuitos aut inhonestos, qui cum sint prohibiti nullum jus conferunt. Vitandum est otium et studio terendum. « Nobiles a teneris unguiculis sunt litteris instituendi et scientiae percipiendae studio habendi » (cap. 18) : nec satis improbandi parentes qui ignobile putant si pueros scientiis imbuant satque habent si nomen suum imperite signare valeant. Monet tamen fugiendam esse libidinem et intemperantiam optimorumque requirendam societatem [1].

De iisdem fere tractat in libello *De regis officio*. Delineata prius regii muneris dignitate, Clichtoveus primum regem ab hominibus ob virtutes fuisse electum et a Deo approbatum supponit. Dein ostendit, philosophicis quidem rationibus, monarchiam aristocratia vel democratia praestare, sed et esse difficiliorem, paucosque bonos fuisse reges contendit. De regalibus officiis singulis in 17 capitibus disserit. Vult fortunam suam instabilem reges esse credant, somnolentiam otium-

1. De traductione libri *De vera nobilitate*, ab « abbé de Méry » vide l'*Année littéraire*, 1762, lettre 2, p. 42, in qua nihil fere reperire est quod sit utile.

que fugiant, doctos quaeritent historiaeque studeant : addant etiam suo regno splendorem liberalitate sua erga pauperes, patriae defensores, principes, ecclesias, ipsosque reges advenas, dummodo non excedant seriisque motivisimpellantur.

In opere *De bello et pace,* Clichtoveus omnes principes christianos alloquitur, quorum nullum aggredi se velle protestatur, cum non sit, ut ait, nec Italicus, nec Teutonicus, nec Hispanus, sed Christianus. Appetendam pacem, vitandum bellum praecipue inter christianos, praedicat : bellum hoc enim non est tam civile quam fraternum, et etiam magis est crudele quam apud paganos magisque impium, cum fiat, comitantibus cruce, statuis, sanctorumque signis. Valde ergo sunt culpandi praedicatores aut consiliarii qui reges ad bellum hortantur : quin imo digni sunt qui ordine primo objiciantur. Contra solos Turcas legitimum esse bellum, Luthero dissentiens, asserit Clichtoveus : quos impugnare sanctum est, imo necessarium, cum Belgradem, Rhodem, captivas fecerint Italiaeque jam fere immineant. Licitum esse tamen aliquandiu bellum inter Christianos concedit post Augustinum et Scripturam Clichtoveus, quando scilicet adsunt sufficientes rationes, ut amicos protegendi libertatemque recuperandi, injuriam propulsandi, schisma, haeresim, tyrannidemque reprimendi necessitas. An vero licitum sit bellum ad perditam provinciam armis conquirendam Clichtoveus dubitat, cum furtum non repetere consulat Christus, cum recuperanda provincia saepe expensis belli vix sit digna. Quidquid sit, legationibus prius pacificis utendum est, Deoque ipsi, qui nationes bello saepe castigat, recurrendum. Peroratione tandem pathetica totum claudit opus Clichtoveus. Pulchra quidem est et rationi fideique consentanea quam probat Clichtoveus politica ratio, sed humilior forsan et modestior, ab illa longe dispar quam Machiavellus, Ludovicus XI et ipse Franciscus I, in agendis aemulabantur.

CAPUT UNDECIMUM.

QUALITER CLICHTOVEUS MULTIPLICES CASUS PARTICULARES SOLVAT ?

Cum jura sua populo, clero, nobilibus regibusque Clichtoveus dictaret, non mirum est, si multi de casibus diversis

eum multoties consuluerunt. Et quidem, ut videre est ex Codice Mazarinaeo 912, a L. Subterraneo, Georgio Civi Tornacensi, J. Caulier, Dominicano Curtracensi, et Jacobo de Hondt fuit interrogatus.

Quaerebat Jodocus Caulier an liceret jus ad certos tum ecclesiae, tum coemeteriorum locos, certo pretio, emere: negabant Lovanienses, affirmabat Clichtoveus hoc esse legitimum, imo necessarium, dummodo prudenter ageretur[1]. Rursus ab ipso quaerebatur an prior quidam quaestuum collectori partem sui territorii, reservata collectae eleemosynae portione, posset concedere, vel adhuc an curati vicariis suis fructuum tantummodo partem relinquere liceret, aut tandem num canonici a noviter canonicatis in felici adventu prandium sub poena distributionum retentarum exigere possent: quas quaestiones, ultima tamen excepta, affirmative resolvebat.

Sapienter etiam de Indulgentiis facultatibusque Confessariorum extraordinariis Clichtoveus respondebat. Georgio Civi petenti qua virtute Pontifex Indulgentias concederet, num aeternam vel solam temporalem poenam istae remitterent, an confessio vel gratiae status ad eas lucrandas esset semper requisitus, an Purgatorii animabus essent applicabiles, Clichtoveus juxta sanae, id est non laxioris, Theologiae regulas, solutiones proponebat: facultates autem, jubilaei tempore, confessariis extraordinarie concessas, ex tenore bullarum, judicandas, easque ad certa peccata et pro certis temporibus determinandas autumabat: addebat nunquam dispensandi in materia justitiae licentiam dari: quin et ipsos confessarios cum poenitentibus, si errarent, ad restituendum possessoribus, non ecclesiae, teneri dicebat.

Nec minus exacte clericorum obligationes definiebat Clichtoveus: eo judice, simoniacus ad restituendos fructus ante absolutionem perceptos tenebatur, beneficiatusque residens, non assistens, non faciebat fructus suos; beneficiatus item studens, non tantum ad officium parvum sed ad Magnas Horas Canonicas obligabatur.

De variis etiam usibus recte solvebat Clichtoveus. Fortuitos omnes ludos respuebat; nam, ut aiebat, proprietas labore et industria, non autem sorte, acquiritur. Ipsam « lote-

1. Episcopus Sagiensis consuluit Sorbonicos doctores « an liceret aliquid pro sepulturis accipere ». D'Argentré, II, v. 19 Junii 1521.

riam » (sic), Bruxellensemque specialiter, contra Briardum Athensem, Lovanii professorem, impugnabat. Restringebat etiam jus sacrum asyli ad templum attinentesque locos: prohibebatque congregationes cum armis, aut prandia quae in coemeteriis habere quaedam confratriae solebant. Missas de Passione petere, die non impedita, et propter serium motivum, permittebat. Vix autem ferebat Missas, speciales vulgo dictas, in quibus sex orationes non ex Missali deprompptae recitabantur quarum ultima quamdam e Purgatorio animam liberabat. A Missis autem mortuorum, quae pro vivis ut morerentur celebrabantur, penitus abhorrebat.

Sortilegia autem non negabat sed reprobrabat. Non assentiebatur illi mulieri, quae ad perditum lac recuperandum, ex vicinarum sortilegarum puteo aquam, e tecto paleam detrahebat, et utramque in angulo ebullitam reponebat, nec istis quae, signo crucis facto, aquam vel benedictam, vel ex fonte Nowrath hauriebant, in qua ceram distillari procurabant.

Ut malos usus respuebat, sic pias consuetudines fovebat. Mirum est quanto erga B. M. Virginem flagraverit amore. Hujus privilegia dogmatica, virtutes, libris pluribus statuit et explanavit; De *Puritate* ejus *Conceptionis*, contra Vincentium a Castro Novo, Dominicanum, de ejus *Compassione* contra alium tractavit. Alia edidit opera de *Visitatione* et *Assumptione*, quae redolent pios animi sensus, validisque argumentis sunt referta. In fronte eorum, praesertim anno 1517 videtur quaedam imago, omnia fere B. M. Virginis emblemata referens, quae tunc temporis fuit celeberrima.

CAPUT DUODECIMUM.

QUALITER CLICHTOVEUS LUTHERO IN CONCIONIBUS SACRIS ADVERSETUR?

Hucusque Clichtoveum cum Fabro ad renovationem ecclesiasticarum scientiarum conspirantem vidimus, abususque diversos secundum regulas exactiores purissimosque fontes ita emendantem, ut cum Lutheranis vel humaniorum litterarum amatoribus qui de multis etiam dolebant defectibus Ecclesiae, videretur aliquo modo connivere. Ast ubi Lutherus a summo Pontifice tanquam haereticus fuit damnatus, Clichto-

veus pedem retraxit, timensque ne aliquid cum haeresi haberet commune, quae nova et critica de Scriptura et Patribus protulerat, haec retractare et rejicere paulatim coepit. Coeterum ab anno 1520 Beda ipsum inter novatores collocabat, quales erant « Jacobus Faber, Judoci praeceptor, qui mutavit in plurimis pretiosam N. T. partem, epistolarum dico Pauli ap., ceu de Annae filiabus scribendo tetigimus, Judocus, qui et de Magdalena cum suo praeceptore, et sine eo in agitata Cerei benedictione, ecclesiae officium temeravit, et Erasmus qui apices evangelicos audacter mutat, et impie, Martinus Luther qui totus scatens erroribus in Ecclesia sancta dementer irruit[1]. »

Qui primum audacia novitatumque quodam amore fulgebat, deinde modestia animique timiditate enituit Clichtoveus. Solis tandem Lutheranis adversari coepit, et quidquid cum eis commune visus fuerat habere, mutavit. Ea est enim rerum humanarum conditio, ut quae primum bona fuerant habita, si semel a novatoribus vel haereticis fuerint accepta, quasi mala videantur et rejicienda. Plura sunt systemata, quae, etsi utilia erant et ad reformationem litterarum vel morum conducebant, vel fuere condemnata vel procrastinata, quia a quibusdam in fide suspectis adoptata et in devium detorta fuerunt. Nec alia ratione Clichtoveus, post Lutheri condemnationem, sententias olim a seipso, dictante Fabro, propalatas, etiam legitimas, abdicavit, nec tantum ipsius Lutheri assertiones sed et suas rejecit[2].

Primo quidem Lutherum in concionibus ad populum aut ad presbyteros vehementer denunciavit. Occasione doctrinae evangelicae quam evolvit, saepius et in 25 fere sermonibus, ad contrarias Lutheranorum opiniones transeundo alludit. Sic de Antiphona *Regina coeli* exclamat : « Debent omnes certatim cum letabunda ecclesia hoc illi (B. M. V.) praeclarum concinere canticum, quamvis invidia Lutheranis rumpantur ilia : *Regina coeli.* » Item de Sanctorum veneratione : « Merito debeant erubescere subsannantes.... invocationem sanctorum, quae est impia et improba Lutheranorum assertio, oblatrantium quod non debeamus orare

1. *Restitutio integra*, f° 30 v°.

2. Variae diversorum tunc hominum agendi rationes erga Reformationem et Orthodoxiam callide sub verbis Evangelistae Johannis Passionem narrantis descriptae sunt in libro : *Tortura et crux fidei*, a Lutheranis sub Germania. Pierre Chepin. — Qui fuit reimpressus a Garnier, Carnuti.

sanctos[1]. » Sed magis exardescit aliquando, quum eos ut pseudo-prophetas fideique hostes denuntiat: « Non pauci hac nostra tempestate delirantes homines huic nostrae Galliae confines praetextu tum falsae religionis tum humaniorum litterarum falsa persuasione turgidi, in cultum divinum, in majorum religionem tot jam ante saeculis et receptam et divino quasi quodam jure institutam, in sanctorum denique venerationem... apertis faucibus pro singulari sua libidine ab omni ratione penitus aliena debacchantur. Atque ita ut lubentissime religiosam orthodoxorum christianorum rempublicam... tanquam daemonum organa et instrumenta funditus everterent, nisi viri pietate ac doctrina insignes... eorum malitiae resisterent[2]. »

Illos homines omni poena dignos judicat, et ipsa etiam morte, nisi timenda sit seditio. « Quando perversi homines et improbi aut etiam perditissima haereticorum dogmata, imo et ipsi haeretici non possunt commode sustolli et auferri de medio fidelium, nisi cum gravi scandalo, periculo et damno Ecclesiae, quia tales tyranni et persecutores Ecclesiae multos habent complices suae malitiae et adhaerentes eis, per quos verisimiliter suscitaretur gravis seditio et commotio in Ecclesia, et fortasse committeretur caedes et occisio fidelium, tunc ad tempus tolerandi sunt tyranni et haeretici, ac patienter ferendi, quoad occurrerit hora eos legitime puniendi et extirpandi sine aliquo scandalo aut incommmodo fidelium ». Ast ubi haec evanescunt incommoda: « malefactores publici et praecipue haeretici sunt secundum viam juris publice puniendi, ubi pertinaciter perstant in sua haeresi »[3].

In synodis autem magis invehebatur contra haereticorum operum translatores[4]; « Nonne doctrina daemoniorum existimari debet, (oro) impietas Lutherana, superioribus annis oborta et universum concutiens orbem christianum?... Digna profecto (ut semel quod sentio proferam) quae pontificia authoritate funditus succidatur et eradicetur, ne suum venenum in plures effundat ac latius dispergat... Ad quod incommodum citius inferendum ecclesiae, plurimum facit incautus illorum labor et sudor, qui plus aequo Luthero dog-

1. *Sermones*, Quentel, 1550, p. 118. Sermo V. Paschae.
2. Sermo III. Trinitatis, p. 164.
3. Sermo Octavae Trinitatis, p. 191; — vide etiam Sermonem de S° Benedicto, de S° Augustino, in die Cinerum.
4. Vide Sermones ad sacerdotes a 632 ad 670. ed. Quentel. 1550.

matistae addicti, volumina ejus traduxerunt (uti accepi) ex Latino sermone in gallicum et teutonicum; quod laïcis et idiotis nullam habentibus recti judicis discretionem ad secernendum album ab atro aut lucem a tenebris, etiam materiam objiciant seipsos perdendi, et coram caecis ponant offendiculum. At quum soli perire nolunt eo quod in libris illis sub melle latet venenum, sed multos quaerunt perditionis ejusdem consortes et socios, digni profecto habentur hi traductores ut et gravi afficiantur supplicio ob suam temeritatem et has suas elucubrationes elaboratasque translationes Vulcano committi videant atque in favillam redigi, ne illarum lectione caeteri inficiantur. »

Sic alloquebatur Clichtoveus Tornacenses presbyteros, anno 1519: Carnotenses item anno 1526 praecavere monebat: « Quod si pro Dei verbo (parochus) proponat ei prava dogmata Lutheranas insanias olentia et errores nostra tempestate pullulantes... aut si in secretis suae parochiae conventiculis hujusmodi doctrinas haereticorum disseminari... permittat, is revera gregem Domini miserrime dispergit. » In secundo sermone ad eosdem Lutherum Lutherique doctrinam vehementer depingebat: « sic sane in triplicem mundi machinam coelestium, terrestrium et infernorum, ipse Lutherus intolerabili insolentia bella gerit more gigantum, cervicosaeque frontis erigit cornua. Hic plane est aper ille de sylva, qui exterminare laborat vineam ecclesiae et singularis ferus depascens eam. Hic etiam est vulpes illa subdola quae demoliri non cessat vineam Domini Sabaoth. Quocirca, o pastores Domini, vigilate, ne lupus ille vorax clanculum subeat gregem vestrum. Videte ne quispiam vobis creditus bibat de calice aureo Babylonis melle circumlito sed pleno fellis, ne quis illius evolvat libros, lenocinio quidem verborum respersos sed instillantes exitiale errorum virus in penetralia cordium. Cavete insuper ne quis admiretur et suspiciat aut amplexetur ejus doctrinam tanquam sanam et rectam, quoniam perversa est, noxia et execrabilis, omnes ferme anteacti temporis haereses, ut Joviniani, Vigilantii, Valdonis, Wiclefi, Hussitarum et caeterorum ejusdem farinae, ressuscitans ac proferens in auras, ut totum exterminet orbem »[1].

Quantae fuerint efficaciae tam fervidae objurgationes constat e statutis quae in hac synodo fuere promulgata, et ex

1. *Sermones*, p. 664 et sqq.

epistola eis a L. Guillardo praemissa. Sic enim se habebat episcopus. « Unde formidandum est adhuc graviora toti Christianismo impendere pericula, nisi labanti fidei succurrat ocyus universa Christi familia, censuris pontifices, armis reges et principes, concionatores gladio verbi Dei, orationibus omnes vitaeque prioris in meliores mores commutatione. » Horum statutorum aliud libros Alemannos prohibet: « Ad Evangeliorum expositionem et plebis sibi creditae instructionem utantur (parochi) libris sanctorum Doctorum Ecclesiae vel recentiorum approbatorum, non istis novis et peregrinis in Alemania forte compositis et impressis, nisi prius visi fuerint et recogniti ut recti auctoritate nostra. »

Aliud prohibet omnes libros de fide a 20 annis non examinatos: « Si parochiani quos habent libros fidem aut mores concernentes a 20 annis citra in vulgari seu latino sermone editos caveant ne eosdem legant antequam dicti libri examinati fuerint per nos aut nostros commissos. »

Tertium jubet denuntiari episcopo aut officiali personas de heresi suspectas: quartum tandem vetat ne quis praedicet nisi prius approbetur.

Quae quidem statuta a Clichtoveo probabilius exarata sunt.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

QUALITER CLICHTOVEUS LUTHERANAS DOCTRINAS A FACULTATE THEOLOGICA PARISIENSI CONDEMNARI CURET ?

Clichtoveus, ut in cathedris, sic in Academia Parisiensi, Lutherum insectatus est, jamque vidimus quam partem in diversis Sorbonae contra Lutheranam doctrinam judiciis obierit. Superest ut horum judiciorum ab ipso elaboratorum naturam penitus investigemus.

Determinatio Facultatis theologicae, 15ª Aprilis 1521 promulgata, fuit doctrinarum tum catholicarum tum haereticarum tam praecisa et completa delineatio, ut quasi praecipuum ante Concilium Tridentinum fidei documentum fuerit habita. In cujus praeambulo, manus perita viri simul theologi, eruditi et litterati, evidenter se prodit. Lutherus ibi a Clichtoveo repraesentatur semetipsum super universam ecclesiam, omnes Scholas, omnes Doctores, omniaque Con-

cilia extollens, quasi Christus ipsi soli se revelasset, suamque antea Ecclesiam in tenebris reliquisset. Ibidem antiquas omnes renovans haereses depingitur : « De libero namque arbitrio disserens Manichaeos sequitur, de contritione et iis quae eam praecedunt Hussitas, Wiclefum, de Confessione, de praeceptis, Beguardos, Catharos, de punitione haereticorum, de immunitate ecclesiasticorum et evangelicis consiliis, Valdenses ac Bohemos, de juramento consentit haereticis, qui se jactitant de ordine Apostolorum, de observatione legalium Ebionitarum haeresi propinquat. » Has syntheses primus delineavit Clichtoveus, multotiesque post ipsum fuerunt repetitae.

Colliguntur in *Determinatione*, sub 25 titulis, 113 propositiones ex operibus Lutheri hucusque evulgatis excerptae. Non ita multas extraxerant condemnaverantque Coloniensis et Lovaniensis Facultates, quas Erasmus Parisiensi fuisse inferiores praedicabat : ipse Leo X^us^ 41^a^ tantum notaverat. Parisienses autem Doctores, ex omnibus Lutheri libris, formulas praecipuas et ad fundamentalia dogmata pertinentes discreverunt. Nec tantum quae dogmatibus gravioribus contraibant censuris affixerunt, sed etiam quae secundariis. Itaque, Clichtoveo duce, plures Lutheri condemnaverunt assertiones, scilicet : B. M. V. non esse in Conceptione immaculatam, non licere haereticos ad ignem damnare, Turcis bellum indicere, principibus bonorum immunitatumque Ecclesiae usurpatoribus resistere. Alia etiam de scolastica Theologia et philosophia animadverterunt : scilicet philosophiam aristotelicam de Moralibus non esse Christo Pauloque conformem, nec eamdem esse populo aptam, vel Scripturis intelligendis accommodatam, quippe quae vocabulis horrendis disputationique propriis, tota scateret : Theologiam quoque scolasticam a vero Scripturarum intellectu et a vera Theologia distare, plus haberi Theologiae in germanicis Tauleri sermonibus quam in cunctis Universitatum Doctoribus, imo Ecclesiam a trecentis annis ex his Doctoribus, quod Scripturas corrumpebant, immensum recepisse detrimentum. De sancto Dionysio multa quoque Lutherus asseruerat, ipsum scilicet esse solidae eruditionis prorsus inexpertem, *Hierarchiam caelestem* somniis confectam, *Theologiam mysticam* periculosissimam, et magis Platonis quam Christi plenam, *Hierarchiam* tandem *ecclesiasticam* allegoriis quae otiorum essent pabula redundare.

Non mirum si Clichtoveus ultimas de Dionysio propositiones jusserit condemnandas, cum tanti faciebat istius opera ; sed forsan, aliquot annis antea, non tam aegre Lutheri de Scolastica propositiones reprehendisset. At tunc temporis totus in alterum convertebatur. Quin imo suggessit ipse primus, ut opinor, contra istiusmodi propositiones, novum censurae modum, quo nec Lovanienses nec Colonienses nec ipse summus Pontifex usi fuerant, scilicet, singulis propositionibus suam affixit notam propriam : quae methodus deinde in theologicis rebus semper est usurpata.

Caeteris hujus temporis judiciis a Sorbona prolatis Clichtoveus certe adlaboravit, etsi proprio nomine nunquam designatur. Eodem enim tempore quo Doctores quasdam reprobabant doctrinas, ipse de eisdem opera typis mandabat. Liber de *Veneratione Sanctorum*, *Antilutherus*, *Propugnaculum*, Sorbonicarum sententiarum aut preparationes aut explicationes esse videntur. Haec animadvertit ipse in prefatione ad opus *De Sacramento Eucharistiae* contra Oecolampadium : « Anno superiori Facultas Sac. Theol. studii Parisiensis (cujus et ipse licet immeritus sum alumnus) eumdem librum natura et diligenti indagine a se examinatum ac excussum in sua publica congregatione, unanimi omnium consensu censuit errorum... refertissimum esse... Ex hac igitur Theologorum Parisiensium determinatione aliquanto facta tempore antequam ad haec scribenda animum applicarem, cognoscere promptum est, non abs re me calamum in eum librum strinxisse. »

Affuit etiam diversis judiciis contra Erasmum a 1524 ad 1528 prolatis, quum ejusdem *Encomium Matrimonii* 12 martis condemnatum, in *Propugnaculo* 18 maii 1526 edito jam impugnet : item condemnationi J. Bernardi (7 julii 1526) cooperatus est, cum ipsam ut recenter prolatam indicet. Aliis autem sive de casuali lucro parochorum sive de transgressione voti ecclesiastici deliberationibus praesens forsan adfuit, cum de iisdem quaestionibus in suis libris tractaverit. Dubium tamen est et praecipue de discussionibus occasione Fabri et Briconneti saepius habitis.

Non omittendum istud Senonensis provinciae Concilium in quo tantas, ut vidimus, partes exercuit, quod quidem fuit quasi Concilii Tridentini praeambulum. Cum scripserit Clichtoveus istius Concilii statuta eaque cum commentario ediderit, juvat rursus methodum ab ipso usurpatam annotare,

quippe quae fuerit a Tridentinis ceterisque conciliis adhibita. Primo quidem, ut diximus, quae de doctrina erant ab iis quae circa disciplinam reformationemque morum versabantur, distinxit : dein utramque partem generali decreto, decretis particularibus, propositionibus damnatis, et exhortatione ad principes christianos composuit. In omnibus Clichtoveus se theologum et litteratum praebuit. In praeambulo capite quod mira gravitate praestat, Lutherum Clichtoveus tanquam cunctorum haereticorum haeredem, vel dogmata sibimet contradictoria asserentem repraesentat : sic praeludit Clichtoveus Bossuetio Protestantium variationes enarranti. Caeterum generale decretum est grave, particularia decreta sunt arte selecta abundanterque explicata, censurae nitidae, finalis exhortatio pathetica. Iisdem qualitatibus fulget *Compendium* quod *Actis Concilii* Clichtoveus addidit, ut irrisionibus Lutheri responderet. Hic enim censuris Facultatis Theologicae illuserat quia nullis motivis erant innixae[1]. Quapropter, Clichtoveus in *Compendio veritatum* doctrinam Actorum Concilii abundanter commentatus est. Quo melius hoc praestaret, libris etiam jam evulgatis, de quibus nobis superest dicendum, usus est.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

QUALITER CLICHTOVEUS IN LIBRIS LUTHERANAM DOCTRINAM IMPUGNAT ?

In libris etiam Clichtoveus Lutheranam doctrinam est insectatus.

Erasmus non parvi faciebat caput de votis monasticis in *Antiluthero* idemque 1 decemb. 1524 continere dicebat quidquid ad hanc materiam conferre poterat. Praecipui ergo ipsius tractatus fuere *Antilutherus* et *Propugnaculum*, quorum utrumque est summa theologica et litteraria contra Protestantismum : ex his fere omnes antilutherana arma desumpsere, et ideo Clichtoveus a pluribus Malleus Lutheri merito vocatus est.

1. *De scholis celebrioribus* Launoius, 435. Luthero respondit Hangestus, *De Academiis*, cap. 4. De hoc capite, cf. D'Argentré, II.

Antilutherus tres habet partes tribus Lutheri operibus respondentes. Prima quidem contra librum *De libertate christiana* dirigitur, et potestatem legislativam Ecclesiae in tuto reponit : simul insufficientiam fidei necessitatemque operum proclamat. Secunda autem pars opponitur libro *De missa privata abroganda*, et quae spectant ad sacrificium eucharisticum explanat. Tertia tandem librum *De votis monasticis* refellens laudem vitae religiosae, tum ex ejus antiquitate, tum ex fundatorum sanctitate, tum ex sublimitate regularum eruit. In hoc opere Clichtoveus solet quasdam propositiones ex Luthero desumptas praemittere, dein doctrinam catholicam evolvit, tandem erroneas assertiones explodit.

De iisdem fere rebus, sed occasione aliorum librorum tractatur in *Propugnaculo*. Prima pars, ubi *Formula missae et communionis pro ecclesia Wittembergensi* refellitur, pluribus notionibus de sacrificio eucharistico jam datis multa ad liturgiam spectantia addit. Dum vindicat cantum, ornamenta, imagines, fidelium oblationes, sacerdotales vestes, reprobat lectionem Epistolae et Evangeliorum, Symboli traductionem, hymnorumque cantum in lingua vulgari. Reprobat item communionem hebdomadariam et sub utraque specie laicis a Luthero impositam.

Secunda pars, respondens libris *De missa privata* et *De captivitate Babylonica*, de Coelibatu ecclesiastico tractat. Primo quidem ex auctoritatibus ipsum commendat, ipsius historiam delineat, quaeritque num summus Pontifex circa illum posset dispensare, num omnis incontinentia sit voti sacerdotalis transgressio. Deinde Luthero Erasmoque respondet coelibatum esse possibilem, utilem, nec ob excessus quosdam supprimendum.

Tertia tandem pars alludit libro *De esu carnium* Erasmi et *De libertate christiana* Lutheri, totamque jejunii et abstinentiae materiam explanat. Primo legislativa Ecclesiae potestate vindicata, quam juste jejunia et abstinentiam Ecclesia praescribat, ex Scriptura, Patribus, exemplisque Clichtoveus ostendit. Dein 20 difficultates ex Erasmo erutas solvit.

Harum quaestionum partem in libro *De Eucharistiae sacramento* resumpsit, sed universalitatem in *Compendio veritatum* de quo jam diximus : imo in isto opere summam ipse refert rerum a se agitatarum : « Nos itidem superioribus

annis, ait, plerasque harum materiarum 25 articulis hic comprehensarum latiore campo et laxioribus habenis agitavimus in libro *De veneratione sanctorum*, in *Antiluthero* nostro et *Propugnaculo* Ecclesiae, utpote de constitutionibus ecclesiasticis et authoritate ecclesiae obligatoria ad quidpiam cum adjectione poenae, de jejuniis et delectu ciborum, de coelibatu ecclesiasticorum et votis monasticis : de laicis non communicandis sub utraque specie, de sacrificio missae, de Purgatorio et suffragiis pro defunctis, de morte Christi pie lugenda, de veneratione sanctorum et usu sacrarum imaginum, de praeceptis et consiliis, denique de fide et operibus, quemadmodum evolventes ea tria opera nostra constabit apertius. »

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

CLICHTOVEUS NON TANTUM LUTHERO ADVERSATUR, SED LIBERIORES OPINIONES SUB FABRO CONCEPTAS RESPUIT.

Nec tantum Clichtoveus adversus Lutherum se opposuit, sed etiam, ut jam diximus, relictis magistro Stapulensi et suis condiscipulis, abdicatis etiam liberioribus opinionibus quibus inspirante Fabro indulserat, rediit ad Sorbonicos Doctores qui eum persecuti fuerant: quin etiam, ne quoquo modo cum haeresi connivere videretur, rediit ad severas et antiquatas Theologiae scolasticae disciplinas.

Clichtoveus exinde litterarum amatores minus impense coluit. Erasmum quem anno 1517 vocaverat *amicum*, et a quo, *uberrimus fons rerum optimarum*, anno 1521, fuerat dictus, non obstante ejus ingenio pluries impugnavit. Dissertationem de Dionysio Areopagita quam adversus eum anno 1517 compositam in codice reliquerat ineditam, *Antiluthero* completam, nullaque facta excusatione, inseruit. Quod aegre tulit Erasmus : qui scribebat N. Bedae, 2 octobr. 1525 : « Jodocum Clichtoveum semper amavi : candidius tandem erat facturus si Dionysium asserens cum Valla potissimum dimicasset, qui hujus sententiae primus author extitit ». Eumdem adhuc Clichtoveus, sed tacito nomine, carpserat, in 2ª parte *Antilutheri ;* Erasmus autem, 15

martis 1526, etiam Beda monente[1], seipsum impugnatum agnoscere hoc in loco fere recusabat. « Locum quem commonstras in libris Clichtovei etiamsi millies legissem non judicassem ad me pertinere, adeo nihil est illic quod non longe absit a mea consciencia. Et quanquam hac in re mihi non es levis author ut qui scribenti adsis, tamen vix adducor ut credam illum talia in me torsisse, et si torsit, precor illi mentem quae propius absit a sobrietate christiana. Ego illic ne syllabam quidem ad me pertinere puto. »

Idem Beda ipsi alteras in *Propugnaculo* inserendas animadversiones (21 oct. 1526) praenuntiaverat : « Alio autem suo scripto quod speramus ante februarii mensis kalendas exacturum rem attinget enucleatius ea tamen modestia qua uti solitus est. » Et revera violenter Clichtoveus contra *Encomium matrimonii*, ut in capite 2° vidimus, debacchatus est. Similiter in 3ª parte *Propugnaculi* valde dolebat de tanti ingenii perversione : « Ut qui dexteritatem ingenii ipsius atque felicitatem demirari plurimum sim solitus necnon dictionis in eodem elegantiam uberrimamque fecunditatem cum suavissima facilitate suspicere et commendare semper consueverim. Verum optarent complures acri judicio et eruditione praediti viri, tantam in scriptis ejus pietatem religionis christianae affectumque sincerum in illam adaugendam quantam in illis eloquentiae vis et venustas sermonis elucet ».

Iratus est vehementer Erasmus, ingemuitque, 7 martis 1531, quod simul a Lutheranis et a Catholicis impetebatur et in quadam epistola[2] respondit tum quaedam explicando, tum asserendo se non serio theologum, at declamatorem egisse, id est, quaedam proposuisse non definiendo sed

1. Beda quidem Erasmum in Clichtoveum incitabat, ut ipse animadvertit : *Prologus in Supputationes*. « Scripseram ad illum quod Clichtovei modestiam semper amavissem, eum tamen civilius acturum fuisse si de Dionysio cum Valla disputasset, quod esset author hujus sententiae potiusquam mecum. Hoc tamen me boni consulere quod res non esset magni momenti. Hic geminus dolor cepit animum Beddae et quod bene sentiens de Clichtoveo et quod ipse carerem sensu doloris quem ille impegerat. Mox homo candidus ostendit librum, caput, et numerum quo essem attactus a Clichtoveo, sine nomine quidem, ne hoc me consolaretur, sed ita ut plerique facile conjectarent quem impeteret (Erasmi opera, IX, 371.) — Idem Erasmus postquam supputavit 310 calumnias, 181 mendacia, 47 blasphemias, quae continebantur in censuris a Beda contra eum prolatis, addit : « Non imputavimus... propositiones quarum censuram cessit Jodoco Clichtoveo » (Opera, IX, 426.

1. Opp. IX, p. 652.

disputando. Ingemuit tamen, Sadoleto 7 martis 1531 scribens : « Dum in arena rete falcemque teneo adversus eos quos isti veluti capitales pietatis hostes omnibus votis extinctos optant, me pro ipsis magno fortunarum capitisque periculo depugnantem a tergo adoriuntur idque subinde, nunc Stunicae, nunc Sanctius, nunc Latomus, nunc Bedda, nunc Sutor, nunc *Clichtoveus,* nunc Eustathius, nunc Scurrae Vincentiani, nunc turmae monachorum Hispaniensium, nunc Albertus Pius, nunc Titelmannus, nunc Carvialis ». Idem repetebat 11 martis 1532, scribens Cretzero. Interdum redigebat librum cui titulus : *Erasmi Roterodami dilutio eorum quae Jodocus Clichtoveus scripsit adversus declamationem suasoriam matrimonii*[1], et 8 febr. 1533 dicebat : « Respondi et veteribus naeniis Clichtovei. » Ridere fingebat Erasmus, verum autem magni Clichtoveum aestimabatur : « Quin et ipse Clichtoveus melius scribit solito, » 10 kal. apr. 1527 dicebat. Imo Luthero jactitanti Erasmum in oblivione permansurum fore nisi de ipso mentionem fecisset respondit (1534) se non magis in oblivionem venturum quam illustrissimi temporis hujus viri, inter quos designabat Eckium, Emserum, Cochlaeum, Lathomum, Fisherum et Clichtoveum.

Fabrum vero Clichtoveus nunquam expresse nominavit, etiam cum sanctorum imagines et cultum, observantias traditionesque sustinuit aut cum translationes Scripturarum in vulgari idiomate reprobavit. Ut animadvertebat Beda, scribens ad Fabrum in *Apologia contra clandestinos Lutheranos* (1 fév. 1529), Clichtoveus *nominibus in gratiam magistri et per modestiam pepercerat.* Remittebatque Beda Fabrum ad opus *De veneratione sanctorum* : « Non est opus mihi in istud scribere ; respicit enim SS. Venerationem, de quo puto, videris, Jacobe, quae docuit tuus *primo jam et meus amicus* Judocus Clichtoveus. » Beda quidem a Clichtoveo vocabatur « eximius insignisque doctrina, conspicuus zelo fidei et justitiae zeli ». Anno 1537 Clichtoveus excerpta de Scriptura Sacra trahebat « ex Beda Venerabili Doctore Theologo Parisiensi ». Beda autem in sua *Apologia adversus clandestinos Lutheranos*[2] dicebat : « Judocus Clichtoveus modo mihi usque adeo fidens et familiaris ut nihil emittet opusculorum quod non prius meam qualis qualis est censuram pertulerit. »

1. Basileae, Froben, 1532.
2. Badius, Kal. febr. 1530, f. 103.

Ut amicos, sic opiniones in doctrinis secundariis mutaverat Clichtoveus.

Olim probaverat Fabrum dum Bibliam ex textibus latinis aut graecis corrigebat, *Apologiamque* ejus hac de re in Codice Mazarinaeo composuerat. At deinceps Clichtoveum istius *Apologiae* poenituit : et has phrases in margine Codicis successive scripsit : prior haesitationem indicat : « Haec sequentia cum diligenti et exacto judicio sunt legenda et sine affectu in aliquam personam : sola veritas in illis sequenda et tenenda. » Posterior plenam retractationem continet : « Quidquid in hoc tractatulo dicitur magno est examine trutinandum, neque id certe commendandum aut probandum quod commentator ille nostram translationem Bibliae in epistolis B. Pauli ex graeco voluerit castigare. » Quod repetit ironice in S. Hieronymi elogio : « Inconsulte faciunt et nunc quidam Graecanici, qui moliuntur nobis aliquot libros aut V. aut N. Test. ex graeco aut hebraeo in latinum vertere : quoniam illa versio prorsus inutilis est, et solam inducens fluctuationem animis legentium propter discrepantiam a vulgari editione. »

Item reprobat traductiones in lingua vernacula sive Scripturae sive precum liturgicarum : « Capacitas mentis laicorum nullo pacto attingere poterit unquam sublima sensa et intelligentiam in sacra divinorum voluminum pagina contentam... Si ab incunabulis versati in linguae latinae studio et commentariis patrum orthodoxorum adjuti, ecclesiasticae professionis viri, vix bene intelligere possent sublimia sensa... quonam pacto assequeretur eam rude vulgus et imperitum, nullo ante divinae lectionis studio exercitatum aut comtariis adjutum. Nullo penitus[1]... » Et praevidebat laicos Bibliarum translatarum lectores, mox praedicatorum more acturos, et suum proprium sensum sensui ecclesiasticorum ab infantia in studio litterarum nutritorum mox praelaturos, ipsas feminas hoc magisterium citius usurpaturas[2].

Qui olim contendebat Scripturas explicandas esse ex contextu et ratione, non ex Traditione, postea docuit ipsas ex Traditione illustrandas : « Qui rectum exposcunt sacrarum litterarum sensum, non cum ea proprii animi sententia, sed ex antiquorum Patrum monumentis litterariis depromere

1. *Propugnaculum*, cap. XVII.

2. Item Petrus Sutor opus ad reprobandas novas traductiones composuit. Sorbona, ut videtur in d'Argentré, III, 6, condemnavit traductiones ratione errorum aut periculorum erroris ; quamdam 30 martis 1530 permisit.

debent interrogareque majores... neque unquam uti pessimo (ut H. ait) magistro, praesumptione sua[1]. » Ipse quidem olim hoc magistro fuerat usus, et contra Traditionem cum Fabro, Paulum uxori fuisse junctum, ultimos homines non omnes morituros esse, asseruerat. Insuper tres esse Magdalenas unicumque Annae connubium, juxta Fabrum Stapulensem, admiserat. De his omnibus publicam confecit retractationem.

Similiter in *Propugnaculo*[2] opinionem pristinam de Tribus Magdalenis rejecit[3] : « Ipse, ait, e diverso, superioribus annis magis contentionibus deservire quam alieno cedere intellectui malui, et minus alterius sensui quam meo credidi, cum plures fuisse M. Magdalenas quarum meminerit Evangelium, et Mariam Marthae sororem, non fuisse mulierem in civitate peccatricem, contra B. Gregorii sententiam jam olim receptam et totius Ecclesiae determinationem, scriptis contendi. » Refutat etiam in *Propugnaculo*[4], opinionem Lutheri Erasmique de conjugio Pauli, cui fere adhaeserat in *Apologia* Fabri (cod. 912), et quam Facultas theologica 16 dec. 1527 erat condemnatura ; ipsam affirmat Patribus et speciatim Ambrosio et Nicolao Lyrae contrariam nec ad codices graecos ut olim nunc provocat. — S. Annae primo quidem tres maritos in vita S. Coletae attribuerat, unum tantum in *Elucidatorio* 1521 ; at deinde, lectis forsan Bedae Sutorisque hac de re operibus, ad primam rediisse sententiam videtur, cum opus Sutoris annotatum amice inter sua Bibliothecae Capitulo Carnotensis legata inseruerit.

Ergo de Patribus Patrumque testimoniis alia sentiebat. Quos olim pro nihilo, antiquioribus exceptis, fere habebat, illos ut veritatis oracula divinoque spiritu inflatos, et Ecclesiae organa depingit. Eosdem saepe citat, et in primis Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, Joannem Chrysostomum, Cyprianum. Quorum testimonia, praemissis argumentis ex Sacra Scriptura erutis, in longam seriem evolvit.

Theologis item scolasticis, ut et Patribus, cum ipsi sint organa Traditionis, priscum restituit honorem. Illos quidem anno 1521 contra Lutherum texit, imo illos aliquandiu frequentavit. Etsi constanter Dionysio, Victorinis, et S. Bernardo

1. *Antilutherus*, p. 223.
2. III, 2, p. 132 v.
3. Eamdem jam rejecerat in *Elucidatorio*, 1521, ed. 1545, p, 137. Ed. 1548, p. 560. Ed. 1548, p. 560.
4. II, 22, f. 105.

adhaereret, Theologos etiam Medii Aevi revolvere coepit. Sic istum Petrum Lombardum quem olim neglexerat et scolasticae barbariei reum fecerat, in libro *De Sacramento Eucharistiae* contra Oecolampadium f° 9 defendere tentavit! Alexander de Hales, Albertus Magnus, Bonaventura et Thomas, ipsi familiares erant. Thomam praecipue saepius invocabat, cujus opera, v. g. Officium eucharisticum, triplici vice laudabat. Utrumque tamen olim quasi negligere visus fuerat. In rebus liturgicis Innocentium III et Guillelmum Durandum testes appellat. Paucos nominat Theologos saeculi XIV, ne Scotum quidem cujus theoriam de Incarnatione longe lateque evolvit. Ast in XV saeculo postquam Joannem Huss et Wiclefum Lutheri praecursores refutandos assumpsit, plures catholicos designat, v. g. Gersonem, Patres Basileenses et Constantienses, Joannem de Turrecremata, praedicatorem, et tandem Gabrielem Biel et Thomam Walden, qui sunt fontes ex quibus pleraque in suis operibus hausit. Gabrielem Biel sequitur, in 3 libro *Elucidatorii*, in *De Veneratione Sanctorum*, in *Antiluthero* et *Propugnaculo:* Walden quoque in iisdem libris et in libro *De Eucharistiae sacramento* maxime utitur. Caeteros sui temporis Theologos, qui cum ipso dimicaverunt haeresim, in fine *Compendii*[1], commemorat[2]. Hi sunt J. Fisher, episcopus Roffensis, et mox futurus martyr, J. Eckius, J. Cochlaeus, J. Faber, Helveticus. Alludit huic J. Fabro Helvetico « viro utique eruditissimo in opere suo quod Malleus haereticorum inscribitur » cum de jejuniis et abstinentiis tractat : duobus item libris « percelebris et eruditione eximii viri J. Cochlaei Francofordiensis *De Auctoritate Ecclesiae* et *De Fomite peccati* et aliis in hac tempestuosa rerum procella a se editis operibus » : H. Emsero « qui superioribus diebus insigni eruditione praeclarus et christianae pietatis contra impios hostes generosus assertor..... elaboravit egregiam S. Canonis defensionem contra Uldricum quemdam Zwinglium Lutheranae factionis improbum militem, qui... hanc qua nunc exscribimus formulam Lutheranam succincte, argute, et praeclare refutat... cujus et nos consectari vestigia in hac elucubratiuncula pro viribus

1. F. 144 v.
2. Florimond de Rémond, *Histoire...* adversarios Lutheri designat Cajetanum, Hosium, Polum, Groperum, cardinales, Georgium, Saxiae ducem, J. Eckium, canonicum Ingolstadiensem, J. Fisherum, J. Clichtoveum, J. Deimbergum, J. Cochlaeum.

connixi sumus » : J. Eccio, quem sequitur in 1ª parte libri *De veneratione Sanctorum*, in *Antiluthero* et in opere *De Eucharistiae Sacramento*, cujus hoc elogium delineat : « Qui unus inter ceteros ut alter Judas Machabeus pro Ecclesiae sanctae defensione interritus semper stetit in acie, et non minus ore quam calamo inimica Dei agmina animose prostravit, quod et adhuc quotidie indefessus agit, militans assidue in castris Domini. » In opere tandem contra Hallewinum citat Joan. Dytembergam Francofordiensem Sax. Ordinis Praedicatorum professum, ob suum *De votis monasticis* librum. Ibidem tres inducit sui temporis gallicos Doctores : Natalem Bedam, Oliverium Maillard [1], Augustinianum fratrem, famosumque praedicatorem, et Hieronymum d'Hangest, theologum, tractatus *De libero arbitrio* auctorem.

Uno demum verbo ad hanc Theologiam scolasticam quam judicaverat insulsam et ad scolasticos Doctores redit.

Maximam deberi fidem liturgiae nunc affirmat, eamque non tantum observari, sed etiam ut Spiritus Sancti opus credi jubet. Olim, nunquam festa Sanctorum ab antiquo instituta tanquam legitimi cultus argumenta accepisset. Nunc de iisdem ita loquitur : « Haec quidem omnia per diuturnam consuetudinem ita observata sunt atque corroborata, ut jam olim transierint in legem et ab ipsa antiquitate vetustateque temporis, cum publico omnium consensu non invalidum etiam jus acceperint. Atqui nemo est qui non noverit totius Ecclesiae standum esse determinationi ac usui tam longi temporis... [2] »

Non eamdem utique Breviarii legendis ac libris canonicis tribuit auctoritatem. Olim dicebat in opusculo *De necessitate peccati Adae* « id esse discriminis inter Sacrarum Litterarum propositiones et illustrium sanctitate doctrinaque virorum, quod orationibus ex Sacrae Scripturae promptuario desumptis cum primum offeruntur adhibenda est fides propter auctoritatem dicentis irrefragabilis : deinde rectus et sanus illarum sensus est diligenter exquirendus. Ipsorum vero SS. Patrum dictis non ea debetur fides aut inconcussa credulitas, sed primum intueri nobis licet et indagare an cum veritate constent et hoc perspecto demum illis assentiendum ». Sed hoc Beda plane schismaticum declaraverat. Unde in libro *De*

1. *Improbatio*, 66 v.
2. *De veneratione Sanctorum*, c. III, p. 8 v.

Veneratione Sanctorum[1] sententiam suam mitigat : « Non debet, ait, quisque se praebere facilem ad judicandum aut aestimandum miracula quae de Sanctis in Ecclesia leguntur esse fictitia aut mendacia, potissimum quando ab authoribus indubitatae fideiil la sunt memoriae prodita, aut etiam quando sine certo leguntur authore, ab Ecclesia tamen universali aut ab aliqua particulari ecclesia sunt jam in usum recepta... Captivandus in obsequium Christi est intellectus subjiciendusque cum humilitate judicio ipsius Ecclesiae. Contemptus et repudiatio eorum quae ab Ecclesia recepta sunt et publice leguntur ab aliquo insolenter attentata, quod ea sibi absurda et minus rationabilia viderentur, gravem sibi conflaret Dei iram atque vindictam. Non itaque leves esse debemus ad hanc tetricam et plerumque temerariam censuram, quod haec vel illa (quae de sanctis in ecclesiastico usu leguntur) miracula sunt commentitia, apocrypha, vana, mendacia aut fictitia. Quoniam sic ferentes judicium (quod sub praetextu pietatis et pii in Deum affectus a spiritu impietatis et incredulitatis saepe numero proficiscitur...) insolesceremus contra Ecclesiae auctoritatem. » Attamen vult ea quae ex apocryphis confingerentur a praelatis sustolli[2].

Quantum ergo mutabatur Clichtoveus ab illo qui olim duos versiculos in *Exultet* suppresserat eo quod ipsi absurdum impiumque sensum resonare viderentur ! Paulatim hanc affirmationem temperaverat. Primo quidem hos versus habere posse quemdam sensum legitimum concesserat, dein addiderat eos revera habere praeter eum quem ipse reprobabat verum et pium sensum, cum scilicet quem Ecclesia canendo intendebat. Ast haec retractatio implicita Clichtovei pietati sufficere non visa est. Iterum atque iterum explicite semet in hac re errasse confessus est. Publice quidem in secunda editione *Elucidatorii :* « Eum sensum in quo canit Ecclesia dictas propositiones tanquam verum et religiosum amplector, quod mihi sit persuasum nihil ab Ecclesia recipi aut admitti in usum debere quod pietatem non sapiat... Neque his obviant ea quae in Apologetica mea disceptatione... disseruntur. » Idem in *Propugnaculo,* alloquens Erasmum, dicebat : « Particulam illam : O necessarium... O felix... repudiandam et abolendam pervicacius scripsi. Idcirco cum

1. II, 77.
2. *De vener. Sanct.*, f. 95.

beato Job ipse me reprehendo et ago poenitentiam. Faxit Deus ut salutaris sit haec mea poenitentia et efficax oculisque suae divinae majestatis accepta. » Secreto rursus Clichtoveus in margine Codicis quo primam suam Apologiam rescripserat, hanc non minus explicitam retractationem inseruit : « Haec Apologia est rejicienda et improbanda, rationesque improbantes geminam illam sententiam sunt amplectendae, et earum solutiones hic positae sunt damnandae, quoniam standum est semper judicio ipsius ecclesiae, quae illas clausulas recepit in usu. »

Caeterum, tanquam inconcussum habet principium Clichtoveus Ecclesiam semper verum bonumque sensum in suis liturgicis precibus servare. Sic contendit Ecclesiam juste dicere de B. V. Maria quod : *meruit portare Salvatorem* (Regina Coeli), *sit spes et vita* (Salve Regina), *mites facit et castos* (in Ave Maris Stella), Erasmumque putat merito condemnatum (an. 1523) quia has locutiones rejiciebat. « Quotiescumque, aiebat, consimilis formae et generis supplicationes ad Sanctos longo usu approbatae nobis occurrunt, non protinus improbandae sunt aut damnandae, sed ad pium aliquem et sanum intellectum reverenter adducendae [1]. Idem sentiebat de formulis ritibusque Missae, ut de aliis usibus liturgicis, v. g. de oblationibus sanctorum, de cereis coram statuis accensis, eaque omnia eloquenter propugnabat.

Caeteris consuetudinibus ecclesiasticis, quas olim negligebat, non mediocrem tribuebat auctoritatem : « Magnae auctoritatis ac efficaciae ad obligandum est, aiebat, consuetudo ecclesiastica et usus multo tempore observatus. Cum enim annexum sibi habeat ex diuturnitate observationis publicum populi totius consensum, vigorem ac vim legis obtinere laudabiliter creditur ». Et hanc sententiam ex Augustino, Hieronymo, et Honorio III° confirmabat [2].

Similiter se habebat Clichtoveus erga reliquias diversaque ad Sanctos attinentia. Reliquias etiam solo testimonio Ecclesiarum vult honorari : « Quod si quis in dubium revocare pergat sintne sacrae illae exuviae ac reliquiae S. Dionysii Areopagitae, ut dicuntur, an ulterius cujuspiam Dionysii, potius ob tantam impietatem poena mulctandus est et vinculis

1. *De veneratione Sanctorum*, II, 59, 12, 13
2. *Antilutherus*, I, c. 25. Similiter *De venerat. Sanctorum*, 8 v., 10 v.

coercendus, quam ratione aliqua revincendus, quod in quaestionem revocet ac trahat in ambiguum, quod ex tot annorum intervallo, publico populi consensu ac tantis approbationibus ratum haberi debet et maxime persuasum ; sufficit enim ipsa temporis antiquitas ac indubitata totius populi sententia, diuturno ac firmo roborata consensu, authoritatem huic rei inducere[1]. » Animas ex Purgatorio redire credit, praecaveantur tamen illusiones : miraculis a populo enarratis assentit, prudentiam tamen in eis accipiendis commendat. Uno verbo quidquid affirmat, aut facit Ecclesia, vel populus christianus primo veneratur et amplectitur, nec rejiciendum esse nisi ipsa ecclesia consentiente, judicat. « Sane satius est... cum tota sentire Ecclesia... quam nonnullos eosdemque paucos novitatum studiosos paradoxorumque sectatores, quorum studium in hoc potissimum versatur ut quae ab omnibus recepta sunt et approbata evertant et refigant[2]. »

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

CLICHTOVEUS, DERELICTA FABRI SCOLA, VETERES THEOLOGIAE SCOLAS LAUDAT. CONCLUSIO.

Quum scolasticarum rursus Traditionum assertorem se praestaret Clichtoveus, non est mirum si theologicarum etiam scolarum ab Ecclesia institutarum, defensorem se praebuerit. Nec illas, ut olim, reformatione dignas excessibusque plenas censuit. Imo, Luthero post Wiclefum easdem ut inutiles et nocivas impugnanti, eloquenter in *Antiluthero*[3] respondit : « Quod non solum falsum sit et erroneum, verum etiam Christi reipublicae admodum perniciosum apostolicaeque Sedi injurium et antiquae consuetudinis apprime laudabilis innervativum, utpote illud ipsum quo publica litterarum studia et celebres damnat Academias, ad quae undequaque confluunt exprimendae disciplinae gratia studiosi, tanquam malorum omnium sentinam morumque corruptelam. » Quod quidem septuplici modo probat, scilicet

1. *Antilutherus*, f. 14 v., *De venerat. Sanct.*, cap. 17 et 18.
2. *Antilutherus*, 15.
3. Lib. II, cap. 29 et 30.

auctoritate Conciliorum, omnium artium praxi, fidei utilitate, hierarchica ecclesiae constitutione, scientiae studentiumque commodo, scolarum ipsarum antiquitate et fructibus. « Quis enim certo numero consequi queat aut verbo complecti, quot ex illis viri castigatissimis formati moribus virtuteque praestantissimi prodiere ? Qui postea totius reipublicae cum civilis tum ecclesiasticae gubernacula feliciter gesserunt? Quot item viri doctrina excellentissimi et in omni genere disciplinae exercitatissimi ex scolis illis processere ! Qui velut clara coeli luminaria totum deinde mundum suarum litterarum eximio splendore monstrarunt !

Dein refellit Lutheri objectiones, respondens corruptelam morum plerumque non contrahi in Academiis sed in eis afferri ex prava educatione praecedente... « Quacumque tamen ex causa reddantur adolescentes in scolis publicis corrupti[1] moribus et discholi, numquid haec perditio et depravatio eorum Academiis est ascribenda? quae et ferulam adhibent disciplinaeque severitatem iis (qui sub paedagogis militant) scolasticis, et praecepta morum rectaque vitae instituta ex philosophiae moralis, juris pontificii atque civilis, necnon ex Sacrarum Litterarum fontibus hausta, quotidie inculcant auribus discipulorum suorum.. Quod secundo... objectat Lutherus damnandas scilicet esse Academias, quoniam in iis imbuuntur adolescentes philosophicis, gentilibus, humanis, impiis et sacrilegis opinionibus, omnino a veritate est alienum, siquidem nihil in illis traditur disciplinis quae publica professione leguntur, quod sit contra fidem aut bonos mores... Quod autem illa quae in Academiis leguntur plerumque gentilium authorum sint dicta, non debet quemquam deterrere ab eorum lectione aut studio, modo veritati

1. In Sermone 2° Pentecostes Clichtoveus scolares quosdam vituperat : « ... qui fabulantur in divino officio in choro... qui etiam tarde veniunt ad Dei servitium aut ante finem ab eo recedunt longe diligentiores ad mensam aut ad ludum... Excutiatur iste torpor consideratione propriorum parentum qui vigiles laborant quando scolastici dormiunt... : qui ultra necessitatem faciunt excessum. aut in cameris comessando, aut in cauponis, dediti immoderationi cibi et potus, quorum parentes potant aquam et ipsi inebriantur vino. Neque considerant quod panem ex sudore parentum confectum manducant. quem si premerent, sudorem illorum parentum ex eo facerent distillare... Contra vero faciunt scholastici qui socios suos ignominiosis nominibus taxant quae semel imposita perpetuo manent et praebent omnibus materiam irridendi... qui schismata inter se suscitant propter minutula vocabula... contendentes an dicendum sit camera an cubiculum, cum sunt prorsus eadem ; an classis, an regula ; an coniux aut coniunx, an michi vel mihi... ». De scolasticis vide Sermonem 2um de S° Bernardo, p. 382.

sint consentanea:.. Verum opinionibus tantum, ait Lutherus, imbuuntur qui in Academiis incumbunt litterarum studio... Numquid in sacris litteris dicet Lutherus opiniones tantum contineri et non solidam rerum veritatem. In jure vero canonico et civili demiror Lutherum nihil nisi opiniones invenire. Similiter et in medicae artis aphorismis atque canonibus necnon in artium liberalium axiomatibus et theorematibus, nescio quomodo solas opiniones deprehendet cum disciplinae mathematicae omnium confessione sint certissimae nullasque admittant opiniones... » Concluditque Clichtoveus nequaquam damnanda esse haec publica litterarum studia sed plurimum commendanda quod ex iis magna procedat utilitas in aedificationem ecclesiae, in animarum salutem, et Dei qui scientiarum dominus est honorem.

CONCLUSIO.

Ex hac Vita et his Operibus satis apparet Clichtoveum dignum omnino esse qui a posteris inter praecipuos sui saeculi viros collocetur. Vixit enim momento gallicae nationis historiae gravi, quo scilicet litterae rursus ab Italicis regionibus adductae paulatim scholas Parisienses invadebant, et Reformationis germanicae necnon gallicae fautores prima suarum doctrinarum semina spargebant. Hoc in discrimine rerum Clichtoveus semper omnibus quae praetendebant aliquid boni etsi novis favit. Quin etiam hoc singulare in ipso animadvertere est, illum scilicet prius reformationem quamdam ecclesiasticae scientiae ut Faber tentavisse, quam quidem interrupit imo et retractavit, sed tantum quando Luthero connivere visus est.

Inter illos qui Patrum textus ediderunt nobilem obtinet locum : eminet etiam inter scolasticos Doctores et apologistas. Utique non fuit Fabro aequalis in litterarum studiorumque criticorum renovatione : at post ipsum est facile princeps. Duce tali Magistro, scholas theologicas forsan restaurasset, nisi controversiae dogmaticae ipsum citius impedissent. Bonarum quoque litterarum causam valde promovit, non aliter ac plures hujus temporis qui majus in litteris humanioribus nomen sibi fecere. Et inter primos eorum qui dicuntur « humanistae » collocandus esset, si

magis Theologi scolastici mores abdicasset. Praecepta quidem sana litteratis, regulasque dictavit: imo elegantia dictionis ipse praestitit. Nullomodo tamen adeptus est facilitatem Erasmi, vigorem Lutheri, impetum Œcolampadii, eruditionem Budaei.

At, si non primum inter litteratos theologosque viros hujus saeculi locum obtinuit, secundum saltem omnium consensu meritus est : dignusque plane est quem Universitas Parisiensis honorificentissime inter antiquos illustresque Doctores connumeret.

TESTAMENT

ET

ACTE DE DÉLIVRANCE DU TESTAMENT

N° **28.** — *Fondations du* XVIe *siècle. Cotte E.*
(Arch. départ.).

Testament de M. Josse Clictoüe, chanoine et théologal de l'église de Chartres, inhumé au milieu du chœur de Saint-André, par lequel il donne et lègue à l'œuvre N.-D. douze septiers de terre labourable, avec une partie de maison et jardin assis à Chaunay, paroisse de Fontenay-sur-Eure, et ce pour la fondation de 24 messes basses par an célébrées à la chapelle de Saint-Laurent : plus donne et lègue audit Chapitre 1,100 liv. à plusieurs fois, suivant un état ci-joint ès années 1529, 1530 et 1532, pour la fondation de l'office double de sainte Cécile.

Du 17 septembre 1543.

---

17 septembre 1543.

TESTAMENTUM CLICHTOVEI.

Universis presentes litteras inspecturis Officialis Carnotensis salutem in Domino. Notum facimus quod in dilecti et fidelis nostri Johannis Godard clerici curie nostre notarii et pratici jurati ac testium infra scriptorum presentia, personaliter constitutus venerabilis et discretus vir Magister Judocus Clichtoue presbiter, in Sacra Theologia Doctor necnon insignis Ecclesie Carnotensis canonicus, eger corpore, sanus tamen mente, ac in bona per Dei gratiam existens memoria, attendens et considerans quod nihil est certius morte, nihil vero incertius ejus hora, cupidus saluti anime sue providere et ad gaudia eterne felicitatis pervenire, tes-

tamentum suum ac suam ultimam voluntatem fecit et disposuit modo et forma sequentibus.

In Nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ego Judocus Clichtoue, in artibus et theologia Magister Parisiensis, et presbiter Morineusis diocesis, atque canonicus prebende theologalis insignis ecclesie Carnotensis, testamentum meum, hoc modo qui sequitur, constituendum decrevi. In primis postulo ecclesiastica Sacramenta, scilicet, Poenitentie, Eucharistie et Extreme Unctionis, secundum laudabile Ecclesie constitutum jam morituris administrari solita, et michi quoque ante vite mee finem (cum adhuc incolumis in me fuerit usus rationis) in ultima mea egritudine exhiberi, necnon ecclesiasticam sepulturam michi etiam post mortem impendi; petoque corpus meum sepeliri Carnoti, in ecclesia parochiali Sancti-Andree, et in choro ejusdem ecclesie, circa medium ejus, ad quem locum deducatur cum honesto comitatu infra explicando.

In conductione autem funeris mei, primum ad chorum Ecclesie Cathedralis et deinde ad Ecclesiam Sancti-Andree, cum cantu solemni ex solito fieri pro defunctis, habeantur octodecim tede quarum singule tres contineant duas libras cere, et unus cerus oblongus ante feretrum deferendus pro more; et cum perventum fuerit ad ecclesiam Sancti-Andree, media pars illarum tedarum cedat in usum Ecclesie Beate Marie Virginis et altera pars media remaneat cum funere quousque totum officium funebre fuerit peractum cum sepultura, et postea cedat in usum ecclesie Sancti-Andree. Pro pulsatione vero solemni facienda in ecclesia Cathedrali Beate Virginis paulo post obitum meum, ante conductionem mei funeris, et in ipsa conductione ejusdem usque ad ecclesiam Sancti-Andree, designo dandas esse pulsatoribus illarum campanarum quinque libras turonenses ut fiat hujusmodi pulsatio honeste ex solito more. Peto autem impensius canonicis ecclesie Beate Marie et horariis atque matutinariis et capellanis ejusdem ecclesie cum matriculariis, assistere conductioni mei funeris a domo ex qua illud efferetur usque in ecclesiam cathedralem et deinde ab illa usque ad ecclesiam Sancti-Andree; pro qua conductione ordino cuique canonicorum ecclesie cathedralis personaliter assistentium dandos esse pro distributionibus septem solidos et sex denarios turonenses. Sic tamen quod quinque eorum fungentes ecclesie cathedralis dignitatibus solite percipere duplices distributiones et quatuor canonici qui deferant extremitates palle funebris tunc superposite feretro duplicem pro more solito habeant distributionem pecunie ; horariis autem et matutinariis necnon matriculariis tam clericis quam laicis, qui aderunt integre in comitatu predicto mei funeris, similiter et pueris chori ecclesie Cathedralis, duobus pro uno computatis, ordino singulis eorum distribuendos esse tres carolos; quod et de hostiario et sub-

hostiario ecclesie Cathedralis ac duobus clientibus nominatis de turno chori ejusdem ecclesie etiam intelligendum censeo et similiter observandum. Ipsis vero sex horariis et matutinariis qui pro more deferent funus meum ex domo in ecclesiam cathedralem et inde ad ecclesiam Sancti-Andree ordino dandos esse, ultra distributionem ipsorum jam dictam, cuique eorum quinque solidos turonenses. Ceteris vero non canonicis, portantibus habitum ecclesie Cathedralis, qui tum presentes aderunt in predicta delatione mei funeris, ordino singulis eorum distribuendum esse unum solidum turonensem.

Preterea, canonici, curati, vicarii et ceteri de choro ecclesie Sancti-Andree etiam assistant conductioni integre funeris mei, a domo scilicet in ecclesiam Cathedralem et deinde ad eorum ecclesiam, ad quam cum perlatum fuerat deducatur ab eis in chorum, et ibidem solemniter decantentur commendationes animarum cum Missa de Defunctis si ante prandium fuerit illa delatio funeris facta ; si vero post prandium fuerit illuc delatum funus, dicantur in ejus presentia Vigilie Mortuorum integre non pretermisso pulsu campanarum solito fieri pro hujusmodi officio in eorum ecclesia ; demum corpus meum tradatur ibidem sepulture cum cantu et orationibus consuetis ac totius chori assistentia. Pro hujusmodi autem obsequiis jam premissis utpote conductione funeris, celebratione exequiarum, pulsu campanarum, designo tradendas esse ecclesie Sancti-Andree Capituli procuratori decem libras turonenses, ex quibus faciant distributiones canonicis et ceteris de choro qui affuerint his officiis et persolvant cetera obsequia ante expressa. Pro honesto autem luminari et tumulatione funeris dentur matriculariis sive gagiariis ejusdem ecclesie centum solidi turonenses.

Insuper ordino capellanos atque presbiteros Domus Dei sive Hospitalis Carnotensis etiam esse convocandos ad funeris mei conductionem, quibus pro hujusmodi comitatu ac officio defunctorum celebrando paulo post in ecclesia ipsorum, cum primum affuerit eis oportunitas, per Vigilias mortuorum, Commendationes animarum, ac missam solemnem de Defunctis, designo tradendas esse decem libras turonenses, quarum quinque sint pro predictis capellanis et presbiteris et pro solutione pulsus campanarum et honesti luminaris ; relique vero quinque libre convertantur in usum domus predicte et in sustentationem pauperum ejus ac languidorum illic decumbentium, eorumque sublevationem procurandam. — Preterea conventum Fratrum Praedicatorum Carnotensium etiam convocandum esse ordini ad comitandum funus meum et ad assistendum exequiis ante sepulturam et ipsi sepulture : cui pro hujusmodi conductione et celebrandis semel pro me in domo ipsorum Vigiliis mortuorum, Commendationibus animarum et missa pro defunctis solemniter dicenda ordino dandas etiam

esse decem libras turonenses. — Preter hoc etiam conventum Fratrum Minorum extra muros Carnotenses situm expeto tum convocari ad conductionem mei funeris et ad assistentiam in exequiis pro more ante sepulturam celebrandis et in ipsa etiam sepultura: cui pro tali comitatu et pro celebratione Officii mortuorum paulo post in domo ipsorum pro me facienda (cum primum id commode fieri potuerit, per Vigilias mortuorum, Commendationes animarum et missam pro defunctis solemniter celebrandam) ordino dandas etiam esse decem libras turonenses.

Ad hec, ipso die tumulationis mee, ordino, pro salute anime mee, celebrandas esse triginta missas privatas et sine cantu in predicta ecclesia Sancti-Andree pro defunctis, et in elemosynas erogandos esse pauperibus eodem die quadraginta solidos turonenses in subsidium ac sublevamen anime mee apud Deum. — Insuper aliquo die ante octavam a morte mea diem, peto fieri post prandium in choro ecclesie Cathedralis Beati Marie Carnotensis, Vigilias mortuorum solemnes cum representatione, et sequenti die, Commendationes animarum cum missa solemni de defunctis, adjuncto pulsu solemni et honesto luminari; pro quo officio honeste celebrando ordino dandas esse Capitulo ipsius ecclesie viginti quinque libras turonenses, applicandas ad faciendas distributiones, ad solvendas pulsationes et luminare ceteraque omnia requisita. — Relinquo preterea operi et fabrice ejusdem ecclesie Cathedralis quinquaginta libras turonenses in donum testamentarium, applicandas per prefectos operis illius ecclesie ad reparationem ejusdem et ornamentum aut ad insigne aliquod opus quod cedat in decorem ejusdem ecclesie secundum maturam determinationem ipsius Capituli Carnotensis ac deliberationem. — Preter hec etiam monasterio Filiarum-Dei juxta muros Carnotenses constructo, ordino in legationem testamenti tradendas esse decem libras turonenses in sustentationem religiosarum illius domus et etiam ad reparationem edificiorum ejusdem monasterii, expetens impensius ut orent sedulo pro salute anime mee et illam Deo devotis suis deprecationibus commendatam habeant attentius. — Cumque evenerit octavus dies a die obitus mei tunc etiam solemnes exequias pro me celebrari postulo in choro ecclesie Sancti-Andree, per Vigilias scilicet mortuorum post prandium et Commendationes animarum atque missam solemnem de defunctis die sequenti, non pretermissa pulsatione solemni pro more et honesto luminari; pro quibus exequiis cum representatione et honestate celebrandis designo tradendas capitulo Sancti-Andree aut ejus procuratori decem libras turonenses ad faciendas distributiones canonicis, vicariis et curatis qui assistent hiis officiis, similiter et capellanis et ceteris pro more solito, ad persolvendam etiam pulsationem et luminare. Celebrentur etiam eodem die exequiarum octave diei, in predicta ecclesia Sancti-Andree, triginta misse

private pro defunctis, et distribuantur quadraginta solidi turonenses etiam pauperibus in eleemosynam.

Cum vero fuerit evolutus annus integer a die obitus mei aut circiter, expeto tunc etiam exequias annue revolutionis pro me celebrari in choro ecclesie Sancti-Andree cum representatione et pulsu solemni et luminari honesto per Vigilias Mortuorum, Commendationes animarum et missam solemnem de defunctis, sicut in exequiis octave diei a morte mea, pro quo officio annue revolutionis mortuorum debite celebrando, ordino per meos executores tradendas esse procuratori ecclesie Sancti-Andree decem libras turonenses, ad faciendas distributiones canonicis, curatis, vicariis et capellanis qui assisterint eidem officio et ceteris pro more consueto, et etiam ad persolvendam pulsationem et luminare illius officii. Celebrentur itidem, eodem die revolutionis anime, in eadem ecclesia Sancti Andree, quadraginta Misse private pro defunctis, et distribuantur quadraginta solidi turonenses pauperibus in elemosynam ad sublevationem anime mee.

Preterea ipsi sepulture corporis mei peto, ex benivolo omnium consensu, superponi saxum sepulchrale figure quadrangularis ex tumba lapidea, quod habeat in medio meam effigiem secundum schema et formam canonici exsculptam, et in extremitate circumquaque nomen cognomen et statum defuncti, cum annotatione anni et diei obitus mei, quemadmodum in aliis saxis tumulo superponi solitis fieri est consuetum, ut illius mee effigiationis aspectu et circumpositu e scripture lectione incitentur lectores ad me suis precibus sublevandum, et orandum suppliciter pro salute ac refrigerio anime mee.

Preter hec autem predicta cum affuerit opportunitas, peto apud Parisios celebrari pro me a sacra Facultate Theologie, cui jampridem sum ascriptus, unam missam solemnem de defunctis apud Mathurinos : pro qua celebranda ordino cuilibet illius Facultatis doctori theologo qui affuerint illi Misse dandos esseduodecim denarios turonenses et ceteri solventur more solito. — In regali etiam collegio Navarre apud Parisios, a magistris et bursariis ejusdem domus, peto pro me celebrandas esse Vigilias mortuorum cum Commendationibus animarum et missa solemni de defunctis ; ad quod rite exequendum ordino tradendas illis esse etiam sex libras turonenses distribuendas illis magistris et bursariis qui interfuerint illi officio. — Denique in celebratissimo collegio Sorbone apud Parisios (cujus sum jampridem socius) postulo etiam celebrari die aliquo conveniente, a sociis et bursariis predicte domus, Vigilias mortuorum, commendationes animarum et missam solemnem de defunctis ; ad quam celebrationem faciendam ordino etiam sex libris esse tradendas que secundum morem illius domus distribuantur sociis ejus et bursariis qui fuerint presentes illis officiis solutis solvendis.

Ceterum ut hacc omnia et reliqua que subnectentur debite compleantur, constituo executores hujus mei testamenti duos spectabiles et circumspectos viros magistrum Medardum Thiersault, canonicum Carnotensem ac officialem reverendi in Christo patris episcopi Carnotensis, et magistrum Johannem Lefèvre, etiam canonicum insignis ecclesie cathedralis Beate-Marie Carnotensis, et eorum quemlibet in solidum: quibus, ne nimio graventur onere hujus executionis, unum designo consocium et coadjutorem, utpote magistrum Renatum Leclerc, etiam canonicum Carnotensem, antiqua michi familiaritate etiam apud Parisios conjunctissimum, qui ceteris duobus prenominatis feret suppetias in hoc negocio. Et in compensationem laborum pro executione hujus testamenti suscipiendorum, designo cuilibet horum trium predictorum decem libras turonenses quas ex meis bonis accipiant ad suum usum, eosdemque omnes et singulos supplicitcr exoro, ut non recusent hanc executionis provinciam suscipere, quoniam nullos hic habeo cognatos aut consanguineos quibus illam possem curam committere, sed magno locorum intervallo ab illis disseparor. Impensius igitur exoro ut, illorum meorum cognatorum vice, fungantur officio prenominati mei executores in hoc presenti negotio et ministerio; ad quod rite peragendum curent ipsi sedulo totam meam suppellectilem, que apud Carnotum est reposita in camera mea et bibliotheca, vendi secundum ritum et morem consuetum, scilicet vestes, libros, lectos, lecticas, mensas, arcas et cetera ad supellectilis rationem pertinentia, et ex hac venditione colligant pecuniam completioni hujus testamenti necessariam et coadjutricem pecunie prompte atque numerate que apud me (ut reor) tunc invenietur. Si quid vero, venditis omnibus meis rebus et completo penitus hoc testamento, superfuerit pecunie collecte ex hujusmodi venditione supellectilis mee, id totum exponatur in pios usus ad salutem anime mee, ut in elemosynas pauperibus erogandas et celebrationes missarum et cetera hujusmodi pietatis opera, refrigerium defunctis prestantia. Quod si contigerit alio in loco quam Carnoti vitam finire, exposco tunc corpus meum mortuum transferri Carnotum, dummodo id commode fieri poterit, opera eorum qui michi erunt comites itineris et sepeliri Carnoti in choro predicte ecclesie Sancti-Andree, observatis integre omnibus antedictis de pompa funebri et exequiis ac si Carnoti diem extremum clausissem, et per eosdem meos executores jam superius expressos et nominatim designatos.

Preterea servitori meo et famulo cubiculario, quem tempore obitus mei habuero mecum habitantem michique in camera ministrantem, relinquo, in recognitionem obsequii prius michi impensi, pro dono gratuito, duodecim libras turonenses, ultra sallarium consuetum illi per me tradi solitum, de quo si quippiam ei

debuero illud integre ipsi persolvi volo. Insuper ex panno nigro novo ordino per meos executores eidem famulo meo tradendam esse unam tunicam lugubrem et capitium nigrum, meis impensis, ut eo habitu indutus comitetur meum funus et intersit exequiis et sepulture mei corporis. — Servo etiam communi domestico et qui totius domus claudende aperiendeque curam gerit atque totum ministerium rei domestice exercet (si quis talis fuerit), designo etiam, pro munere gratuito, dandas esse duas libras turonenses, expetens quod habeat a meis executoribus etiam tunicam nigram novam et capitium nigrum, impensis meis, quibus indutus comitetur meum funus cum servo meo. — Aliis etiam quatuor viris pauperibus aut adolescentibus comparent mei executores singulis unam tunicam nigram et capitium nigrum, ut habitu lugubri cum predictis duobus famulis assistant meo funeri, intersintque exequiis et sepulture ejus. — Ancille vero domestice, que obsequio domus quam habitavero tempore mee mortis erit addicta, relinquo, pro dono gratuito, duas libras turonenses, cum una de vestibus meis, arbitrio executorum eligenda, et si quippiam pro salario eidem debuero cum hinc discedam id totum eidem integre persolvatur. Ceterum impresentiarum nichil cuiquam debeo nec alienum quippiam mee custodie deputatum habeo. — Si vero, tempore obitus mei, quicquam alieni debuero (quod ex registro meo papiraceo aut ex obligatione mea per creditorem exhibenda fiet protinus manifestum), volo illud incunctanter et integre persolvi per meos executores; et si quid alieni michi fuerit commendatum, per eosdem confestim etiam volo id reddi suo domino ac legitimo possessori ut cuique reddatur quod suum est.

Quantum vero ad libros meos spectat, quos prius esse vendendos cum reliqua suppellectile mea ordinavi, nonnullas speciales exceptiones observandas esse volo et constituo. Nempe ex libris meis arte impressoria excusis, relinquo bibliothece ipsius Capituli Carnotensis imponendos libros sequentes et his inscriptis annotatosque titulis : *De vera nobilitate; — De laude monastice religionis; — De puritate Conceptionis beate Marie Virginis; — De dolore ejusdem sacre Virginis in passione Filii sui; — De mistica significatione numerorum Sacre Scripture; — De Annunciatione et Visitatione ejusdem gloriose Virginis; — De gloria Assumptionis in celum ejusdem sancte Dei Matris; — De laudibus sancti Ludovici regis Francorum et beate Cecilie; — De Regis officio; — De vita et moribus sacerdotum; — De veneratione sanctorum; — De bello et pace; — De Sacramento Eucharistie contra Aecolampadium; — De doctrina moriendi.* Horum autem opusculorum pleraque simul ligata sunt in eodem volumine, et nonnulli libri hic non nominati una cum istis supra nominatis interdum sunt ligati in eodem volumine, qui etiam sin

disseparatione reponantur cum ipsis in predicta bibliotheca ecclesie Carnotensis propter colligationem et mutuam conjunctionem. Insuper in eadem bibliotheca reponendos ordino libros istos meos sequentes, etiam impressos, sed in majori volumine quam sunt libri precedentes et supra nominati : *Opera beati Dyonisii Areopagite, commentario declarata ; — Libros Johannis Damasceni de fide orthodoxa, cum commentario ; — Libros Cyrilli patriarche Alexandrini in evangelium Johannis ; — Antilatherum tres libros complectentem ; — Propugnaculum Ecclesie, in tres libros distinctum ; — Elucidatorium ecclesiasticum, in quatuor libros divisum.* Et hi omnes libri, ex consensu ipsius Capituli Carnotensis, affigantur cathenis in predicta bibliotheca, que meis impensis et pecuniis comparentur. In singulis autem librorum predictorum scribatur in principio, ad interiorem partem coopertorii seu in primo folio albo, hic titulus : *Ex dono Judoci Clichtoue, quondam canonici Carnotensis. Orate pro eo,* ut lectione illius scripture incitentur lectores qui predictos libros evolverint ad impartiendum anime mee sue orationis subsidium et patrocinium. Preterea ordino et constituo quod decem volumina ex libris meis, alia a supradictis in hoc testamento, reserventur et tradantur regali collegio Navarre apud Parisios, ex dono meo, ad reponendum illos in ejusdem collegii bibliotheca et non ad alium usum. Et ea quidem ac talia volumina que et qualia venerabilis dominus et honorandus magister Ludovicus Lassere, sedulus et fidelis provisor ejusdem domus Navarrice, voluerit deligere atque secernere ex toto librorum meorum acervo et numero, et que judicaverit digna reponi in eadem bibliotheca Navarrica, ut illic semper affixa maneant, ad usum quotidianum studentium et litteratorum.

Item lego fabrice ecclesie Carnotensis terras arabiles nuper per me emptas a Matheo Breton, sitas in territorio de Chaunay, parrochie de Fontaneto-superAuduram, que ascendunt usque ad undecim vel duodecim sextaria terre, cum parte domus et orti, latius in litteris super hujusmodi emptione factis declaratis, ad onus viginti quatuor missarum privatarum secundum diem singulis annis, ad altare Beate-Cecilie, alias Sancti-Laurentii, sub hostio Camere compotorum situm, prima et decima quinta die cujuslibet mensis celebrandarum, et unius alterius misse in die festiva Sancte Cecilie. Et ad usum celebrationis hujusmodi missarum ego etiam lego meum calicem argenteum deauratum.

In natali vero solo ac patria mea, post obitum meum, dividantur bona mea hereditaria illic consistentia, sive in terris, sive domibus sive annuis redditibus, equaliter, secundum morem et consuetudinem patrie, inter eos qui sunt legitimi heredes et proximi bonorum meorum temporalium, secundum ordinationem juris et usum consuetum regionis, utpote inter filios et filias trium

fratrum meorum defunctorum, scilicet Cornelii Adriani et Johannis van de Clichtoue, et inter liberos itidem sororis mee etiam defuncte, videlicet Elizabeth van de Clichtoue, quondam uxoris sororii mei Jacobi de Valdere. Et si qui alii sint inter meos cognatos ad quos jure hereditatis bona mea pertinent in patriis laribus constituta, etiam sint illorum participes. Deinceps si ex reddidibus meis annuis, qui ascendunt quotannis ad sex libras grossorum aut circiter, id est ad triginta sex libras turonenses, nepos meus ex fratre meo defuncto Cornelio, Adrianus van de Clichtoue, mercator pannorum, habitans in Novoportu, qui, nomine procuratorio illorum meorum reddituum pecuniam pro me semper recipit in patriis finibus, quippiam michi pecunie debuerit tempore obitus mei, ordino quod procuret ex illa pecunia debita exequias solemnes michi semel celebrari in ecclesia parrochiali Neoportuensi, per Vigilias mortuorum, Commendationes animarum et missam solemnem de defunctis, cum luminari et pulsu solemni secundum morem illius ecclesie, cum celebratione etiam triginta missarum privatarum et sine cantu de defunctis in eadem ecclesia eodem die, et cum distributione eleemosynarum, saltem quadraginta solidorum turonensium, in pauperes. Et si quid, his omnibus expletis, superfuerit, illius pecunie tunc mihi debite a predicto nepote meo Adriano, rerum mearum apud patrios lares procuratore, id totum ab ipso in pios usus erogetur, celebrationes scilicet missarum et eleemosynas, pro salute anime mee. Et hoc ipsum quod modo dictum est de officio ecclesiastico faciendo pro me in Novoportu, per litteras significetur a meis executoribus insigni viro magistro Hieronymo Clichtoue, cognato meo, habitanti Brugis apud Sanctum-Donatianum, cujus ecclesie est rector parrochialis, ut per eumdem illud predicto meo nepoti Adriano deinceps insinuetur. Postremum, si qui alii michi quicquam debuerint, e mutuo aut alia quavis de causa, tempore mei decessus ex hac vita (quod ex registro papyraceo ratiociniorum meorum aut scedulis eorum obligatoriis apud me tunc repositis facile constabit), procurent mei executores ea debita mature et cito persolvi, et illam pecuniam applicent ad executionem hujus testamenti plenius faciendam.

Verumtamen, si fortasse tanta fuerit tenuitas pecunie et bonorum meorum tempore mei obitus ut non possint omnia et singula compleri particulatim ante expressa, tunc mei executores studeant ea que maxime necessaria sunt et ad honestatem exequiarum spectantia adimplere, potissimum ea que intra Carnotum sunt exequenda in ecclesia cathedrali et Sancti-Andree; reliqua vero que minus necessaria sunt et extra Carnotum agenda pretermittant propter defectum materie pecuniarie. Quod quidem negotium omnino eorum discretioni et dispositioni committo, dans eis liberam potestatem diminuendi, mutandi et pretermit-

tendi ea ex prius expressis, que secundum recte rationis censuram ac judicium ob necessitatem sunt omittenda, aut quoquomodo ob rationabilem causam pretermittenda, aut secundum quantitatem precii aliquantisper diminuenda.

Hec autem omnia ut premissa sunt, premeditato animo et exacta discussione, mente incolumi et sano adhuc corpore a me Judoco Clichtone sunt constituta. Quare ea omnia prorsus integre servari quantum facultas suppetet expostulo, et hoc unum testamentum efficaciam habere volo et operis executionem, ceteris omnibus testamentis prius per me factis omnino revocatis et abrogatis. Volo insuper quod istud testamentum possit multiplicari et transcribi secundum eamdem formam per authenticos et probatos scriptores, et ejus fieri unum actum sive exemplum, aut plura (si opus fuerit) tantum valentia.

Et ad premissa omnia et singula facienda et exequenda dictus testator fecit, elegit et nominavit, prout nominat, executores suos supranominatos, quibus executoribus et eorum cuilibet dedit et concessit plenam potestatem, facultatem et mandatum speciale premissa faciendi et exequendi, omnia bona sua mobilia et immobilia propter hoc obligans ; revocans omnia alia testamenta (si que forsan alias per eum facta fuerint) ; volens hoc presens testamentum valere et robur firmitatis obtinere. In quorum fidem, robur et testimonium, sigillum curie nostre presentibus duximus apponendum.

Datum et actum in domo episcopali Carnotensi, anno domini millesimo quingentesimo quadragesimo tercio, die decima septima mensis septembris.

Presentibus venerabili viro magistro Petro Merlyn, doctore theologo, priore curato prioratus curate et parrochialis ecclesie de Morenceiis, Carnotensis diocesis, ac magistris Petro Groignet, rectore sive curato ecclesie parochialis Sancti-Germani-prope-Alloyam, ejusdem Carnotensis diocesis presbiteris, et Matheo Darde, clerico, reverendi in Christo patris et domini domini Carnotensis episcopi secretario, Carnoti commorantibus, testibus ad hec vocatis et rogatis.

Signé : J. Godard.

Chevillerius (412, 417) vidit Testamenti exemplar, datum a Jac. Pastey, secretario Capituli Carnotensis.

ACTE DE DÉLIVRANCE DU LEGS DES TERRES DE CHAUNAY ET DES AUTRES[1].

A tous ceux qui ces présentes lettres verront, Doyen et Chapitre de Chartres salut. Savoir faisons que pardevant nous vindrent et furent présens vén. et discrettes personnes Maistres Medard Thiersault, Jehan le Fèvre et René le Clerc, chanoines de Chartres on nom et comme executeurs du testament et ordonnance de derniere volunté de defunct vénérable et discrette personne Me Josse Clichtoue, en son vivant docteur en théologie et chanoine de Chartres — lesquels on dict nom selon et en ensuyvant certaine clause contenue ondict testament, — es personnes de nos frères et conchanoines, Mes Jehan Nantier, chancelier, et Jehan Delacroix, comis et deputez à l'euvre et fabricque de Nre eglē de Chartres, ad ce par nous commis en ceste partie, Nous ont faict delivrance du don et legz faict par ledict defunct Clichtoue à ladite euvre et fabricque. Et en tant que besoing est ou seroit, lesdits Thiersault, Lefèvre, et Le Clerc, esdits noms, ont cédé, transporté et délaissé, et par ces présentes cèdent, transportent et délaissent des maintenant a tousiours mès à ladite euvre et fabricque de Nre eglē de Chartres, es personnes des dessusdits Nantier et Delacroix, adce présens et acceptans et stipulans pour nous, les terres assises on terrouer de Chaunay en la parroisse de Fontenay sur Eure, montans à douze ou treize sextiers de terre avec partie d'une maison et jardin, plus au long declarees es lettres de vendition sur ce faictes et passées par devant Mathurin de Baigneaulx substitut soubz le tabellion royal a Chartres, datées du vingt septiesme jour de mare mil cinq cens trente huit, signees M. de Baigneaulx. Ceste cession, transport et délaissement, faictz à la charge de faire célébrer par nous par chacun an a tousioursmès, les premier et quinziesme jour de chacun moys, une messe du jour à l'autel de Saincte Cécile, autrement de Saint Laurens, fondée en notre église de Chartres, et une autre messe le jour de Saincte Cecile. Ce que nous, es personnes desdits

1. Sur le dos du pli : Délivrance du legs fait à l'Œuvre N. D. des terre de Chaunay par Me Josse Clithoue, chanoine, à la charge de 3 messes par an. 3 nov. 1543.

Nantier et Delacroix avons promis et promectons faire dire et célébrer, ainsi qu'il est contenu en ladite clause testamentaire. Et pour l'usaige de la célébration desdites Messes, avons eu et receu desdits exécuteurs ung calice d'argent deauré pesant deux marqs deux onces, quatre nappes d'autel, trois sonnettes, une aulbe, deux amictz et une chasuble de demye ostade rouge à fleurettes avec l'estolle, le fanon, et huit sainctures. Une autre chasuble de damas rouge, garnye d'orfroye de gros or à personnaiges avec l'estolle et ung fanon. Item une aulbe, ung amict et une saincture, ung corporalier de damas rouge, une Notre-Dame de Pitié dessus garny de deux corporeaulx et ung vollet, ung autre corporalier de demye ostade rouge, avec ung corporal et deux voletz. Ung grant messel a dire la messe, le canon de parchemyn et la maiestée enluminée avec ung coussin de cuir dessoulz, deux burettes destain, une boette a mettre pain, une paix darquemye, ung chandelier de cuivre a quattre cierges, des ciseaulx à moucher la chandelle. — Ensemble avons eu et receu desdits exécuteurs les livres qui ensuyvent pour mettre et enchesner en la librairie de Noē église de Chartres selon l'ordonnance testamentaire dudict defunct Clicthoue. C'est assavoir :

Opera beati Dionisii Areopagite commentario declarata

Libros Johannis Damasceni, De fide orthodoxa, commentario adauctos

Libros Cirilli patriarchae Alexandrini super evangelium Johannis

Antilutherum tres libros complectentem.

Propugnaculum ecclesie in tres libros distinctum

Elucidatorium ecclesiasticum in tres libros divisum

De vera nobilitate et laude monastice religionis

De puritate Conceptionis beate Marie Virginis adhuc est in B. C.

De dolore ejusdem sacre Virginis in passione filii sui B. C.

De mistica significatione numerorum Sacre Scripture B. C.

De annunciatione et visitatione ejusdem gloriose Virginis B. C.

De gloria Assumptionis in celum ejusdem Dei Matris B. C.

De laudibus Sancti Ludovici regis Francorum et beate Cecilie

De Regis officio B. C.

De vita et moribus Sacerdotum B. C.

De veneratione Sanctorum B. C.

De bello et pace B. C.

De Sacramento Eucharistie B. C.

De doctrina moriendi B. C.

Le tout ainsi donné et légué par ledict défunt dont nous sommes tenuz pour contens et en avons quicté et deschargé, quictons et deschargeons lesdits Thiersault, le Fevre et le Clerc esditz noms.

Promectans lesditz Thiersault, le Fevre et Le Clerc esditz

noms, que contre les cession, transport, delais, delivrances et choses dessusdites, jamais ilz nyront ne viendront, aller ou venir ne feront par eulx ne par autres on temps advenir. Aincois lesditz tares, partie de maison et jardin promisdrent et gaigièrent par les foy et serement, de leur corps garandir délivrer et défendre, à ladite euvre et fabricque de leurs faictz et empeschements seullement. Et pour toute autre garandie lesditz cédans esditz noms ont baillé et délaissé ausditz Nantier et Delacroix esditz noms lesdites lettres d'acquisition datées des ans et jour dessus dit. Et sur ce rendre et paier tous coustz, frais, mises, dommaiges intérestz et despens que ladite euvre pourroit avoir et soustenir par default de ladite garandie, sur lesquels le porteur de ces lettres sera creu par son simple serement sans autre preuve faire. Et quant ad ce lesditz Thiersault, le Fevre et Le Clerc cedans, en obligent à ladite euvre et fabricque, es personnes desditz Nantier et Delacroix proviseurs d'icelle, leurs successeurs ou aiant cause, et submisdrent du tout a notre juridiction et a toutes autres, eux, leurs heritierz et aiant cause avec tous et chacun leurs biens meubles et immeubles quelzconques présens et advenir, pour estre prins, venduz, louez et exploitez par main de justice jusques a plain complissement de ces lettres et du contenu en icelles. Et renoncerent lesdiz cédans par leurditz foy et serement a tout ce généralement qui contre ces présentes et leur contenu pourroit estre diet ou opposé.

Présens ad ce pour tesmoingx Me Jehan Gombault, prêtre, clerc de l'euvre de l'egle de Chartres, Simon Hervé serviteur de ladite euvre, et Denys Laigneau clerc demourant à Chartres.

Donné sous notre scel en tesmoing de ce le samedi tiers jour de novembre l'an mil cing cent quarante trois.

Noisy.

Archives de l'Hôtel-Dieu. Comptes.

Le 29 jour de 7bre 1543 receu de Mr Maistre René Leclerc, chanoine de Chartres, cent solz léguéz audit Hostel-Dieu par deffunct Mr Josse Clichoue.

(Communiq. par M. Merlet.)

Ex libro Recepti et Expensi Lud Lasserei, provisoris Navarrae (Launoy, 417) : « Anno 1543, Jud. Clichtoveus Doctor

theologus obiit 22 sept. et testamento legavit collegio decem volumina librorum et sex libras : sed, quia non sufficiebant ad obitum solemnem, collegium propter beneficia in se collata residuum supplevit. »

Libri Navarrae collegio legati.

1° In bibl. Mazar. 35938 videntur adhuc : *De laude monasticae religionis, — De doctrina moriendi* in quibus est haec inscriptio : pro libraria Regalis Collegii Campaniae, alias Navarrae, ex dono Magistri Ludovici (Judoci).

2° n° 35980 : Ludolphus Carthusiensis : Expositio in Psalmos.

Lépinois. — *Mémoires de la Société archéologique,* II, 133.

Excerpta a Laisné.

Registrum resignationum, collationum. . . per Rev. in X patrem et dominum, D. Ludovicum, Dei et sancte Sedis apostolicae gratia, Carnotensem episcopum, necnon venerabiles et circumspectos viros dominos et magistros Medardum Thiersault officialem, et Natalem Tesson, decanum et canonicum St Andree Carnotensis, presbyteros in juribus licentiatos. . . ipsius reverendi Patris vicarios generales. . . decretorum et ordinatorum, et per me Petrum le Seneux presbyterum, in decretis bacchalaureum, canonicum Carnotensem, publicum. . . curiae episcopalis notarium, ejusdem reverendi Patris sigilliferum et secretarium, expeditorum et registratorum — Inceptum die Sabbati festiva S. Joh. Baptistae 24 mensis junii anno D. 1542.

F° 260 v° Laisné.

Sabbati, in jejuniis 4 temporum 22 (septembris 1543).

Circiter horam 6 de mane, obiit vir celeberrimus, magister Jodocus Clicthoue, presbyter, in sacra pagina professor, et canonicus prebendatus Ecclesie Carnotensis. Cujus corpus fuit per reverendum patrem Ludovicum, episcopum Carnotensem, dominos de Capitulo, cum habituatis praedictae ecclesiae, Cordigeris, Jacobitis et aliis viris ecclesiasticis, processionaliter conductum a domo episcopali Carnotensi in ecclesiam Carnotensem in qua decantatae fuerunt Commendationes : quibus decantatis, ad ecclesiam Sancti Andreae Carnotensis ibidem sepeliendum processionaliter etiam conductum.

Ejus anima cum Beatis requiescat.

CONTRACTUS DE BONIS A CLICHTOVEO IN VICO CHAUNAY ACQUISITIS.

Archiv. Chart. G. 460, et G. 131.

---

1. Caisse de l'Œuvre, n° 1. Cotte T. — Vente de 14 septiers de terre et d'une moitié de maison et autres héritages, siz à Chaunay, au profit de Mre Josse Clithoue, chanoine de Chartres, par Mathurin Lebreton, moyennant 380 livres.

27 mars 1538 (1539 n. st.).

Ensemble une quittance de 100 liv. restant des 380 liv. du 14 may 1540.

Documentum existit integrum.

2. Commission du maire de Loens obtenue par Me Josse Clithoüe chan. pour faire les criées des terres de Chaunay par lui acquises de Mathieu Le Breton.

11 avril 1539. — Pièces *in extenso*.

3. Le 20 mai 1539, on présenta au nom de Clichtoue en jugement le procès-verbal des criées, et l'opposition de Glatigny : celui-ci doit fournir au bout de la quinzaine ses causes d'opposition.

Pièces *in extenso*.

4. Le 25 octobre, M. Lebreton est condamné par le bailli sur la demande de Clichtoue à faire cesser l'opposition de Glatigny.

Pièces *in extenso*.

5. Le 15 janvier 1540, Glatigny se déboute de son opposition.

Pièces *in extenso*.

6. Adjudication par décret devant le Maire de Loens des terres de Chaunay acquises par Me Josse Clichtoue chanoine de Mathurin Le Breton.

14 février 1539 (1540 n. st.).

On y voit que Clichtoue paya en cent escuz d'or soleil, cinq nobles roze, six angelotz, ung philippus, le reste en monnoie.

Pièces *in extenso*.

PROGRAMMA LECTIONUM CLICHTOVEI

DUM ERAT CARNOTI CANONICUS THEOLOGALIS

Ipse Clichtoveus delineavit hoc programma in quodam libro Bibl. Mazar. nº 35980, cui titulus: Ludolphi Carthusiensis, Expositio in Psalmos.

Anno 1528, 17 *Augusti*, incepi expositionem *Psalterii,* Carnoti, in choro Ecclesiae, post matutinas, secundum morem ibi consuetum in lectionibus ordinariis, fieri consuetis per eum canonicum qui habet prebendam theologalem illius Ecclesiae.

Et finivi eamdem totius Psalterii per ordinem psalmorum expositionem anno 1533 *ultima die Aprilis.*

Anno 1532, 19 *junii* que festum est SS. Gervasii et Prothasii, post expositum psalmum 130: *Domine non est exaltatum cor meum,* denunciavi auditorio intermittendam esse illam lectionem psalmorum ad tempus, ob periculum pestis in Carnoto tum graviter invalescentis. Et deinceps abstinui ab ea lectione facienda usque *ad primam decembris,* ubi eamdem rursum incepi et deduxi usque ad finem totius Psalterii quem attigi *ultima aprilis* anni 1533.

Anno 1533, *secunda die Maii,* incepi expositionem, in lectionibus predictis ordinariis, *duodecim Canticorum ecclesiasticorum* que ultra psalmos psalterii citantur in officio Ecclesiae in modum et secundum tonum psalmorum.

